LIBELLUS DIALOGORUM,

Sive

COLLOQUIA,

Nonnullorum Hermeticæ Medicinæ, ac Tincturæ Universalis studiosorum, in gratiam eorum, qui Hermeticam Philosophiam amplectuntur, conscripta & edita,

Studio & Labore

JOH. RUDOLPHI GLAUBERI.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
Anno cIↃ IↃc LXIII.


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

Ad BeneVolum Lectorem

PRÆFATIO.

HOs tres Dialogos nunquam publici juris facere, sed hinc inde bonos amicos, & benè de me meritos, eorundem participes reddere in animum induxeram. Eâ de causâ nonnullis, eorum describendorum, copiam feci, qui contrà voluntatem,& opinionem meam,benignite eâdem, quâ acceperunt, abusi alios suos amicos eorundem compotes reddiderunt; quo factum est, ut in vulgus emanaverint, atque ità sæpius descriptis usu venerit, ut plurima vitia, quod plærunque contingere solet, iisdem irrepserint, ac verborum meorum sensus in sequiorem partem abierit. Quod cum mihi majori incommodo, quàm commodo esse comperirem, præcipuè quod opus tale nihilominus sub nomine meo se aliis insinuaret, communi omnium utilitati servire, & idem sub nomine meo publici juris facere consultum duxi,ut ità ex duobus malis minus eligerem, atque boni nominis mei famæ consulerem. Non tamen eo fine,quò mihi nominis celebritatem aliquam compararem,

præ cæteris plus ſapienti, atqueità reru cognitione, & experientia pluribus ali antecellenti, ſed potius ut incredibilia D Omnipotentis opera, & miracula, ad ſ nominis gloriam infinitam, innoteſc rent, & palàm fierent. In iis conſcribend ea tantum profero, quæ ipſe manibus me operatus ſum, ac adhuc, divino adjumen to, cujuſvis temporis operatione certâ indubitatâ, demonſtrare poſſum. Cunct tamen eo ſenſu à nemine capi volo, qua jam totum opus omninò abſolviſſem, ad debitam, ac omnibus numeris ſuis ab ſolutam perfectionem deduxiſſem, quo mihi nullo modo arrogare poſſem: Ho duntaxat affirmo, ſi quis in hoc opuſcul præſcriptos labores, ſecundum literar ſequutus fuerit, eum ſine omni errore e perventurum, quò ego jam perveni, e tamen conditione, ut verum Salem Philo ſophorum, ejuſque uſum cognitum & per ſpectum habeat. Quæ reſtant, Deo benedi ctione ſuâ ſucceſſum fortunanti commen do, atque hoc unum rogo, ut quiſque eo quo hæc ſcripſi, animo accipiat, & ſince rum meum de ipſo bene merendi ſtudium æqui bonique conſulat.

DIA-

in de Dialogus .

SOLEM, SAL, SVLPHVR, LV: NAM CON IVN: GIS IN VNVM,

MAJVS HA: BES COELVM QVOD TIBI DARE POTEST.

PHISOSOPHORVM FVNCTIO, CONTRARIORVM CONJVNCTIO.

HOMOGENIORVM CONCENTRATIO HETEROGENIORVM SEPARATIO.

SAL. SVLPHVR. LVNA. SOL.



DIALOGUS,

Sive

COLLOQUIUM PRIMUM

Duorum Hermeticæ Medicinæ ſtudioſorum, literis A, & B, notatorum, quorum huic labores ſui feliciter, illi infeliciter ceſſerunt, ideò ab hoc manuductionem ad opus petenti, à quo voti ſui compos redditur.

Opuſculum omnibus tanti Arcani impetrandi ſtudio flagrantibus, lectu utiliſſimum, conſcriptum à

JOH. RUD. GLAUBERO.

B. SAlve mi Amice: Quid ità triſtem, ac cogitationibus oneratum, & neſcio quæ tecum muſſitantem te hîc offendo? A. Salve tu quoque plurimum, Amice, qui tàm opportuno tempore te mihi offers, & quidem hoc ipſo momento de te cogitanti, & tuum adventum maximè exoptanti. En tua ſcripta, quæ hîc manibus, & mente pervolvo, tàm obſcura tamen, ut ex iis me ipſum expedire nequeam, licet

maximum etiam ipsis intelligendis laborem adhibeam. Plurimorum aliorum celebrium, & fide dignorum Philosophorum Scripta etiam diligenti, & assiduâ lectione pervolvi, eâ spe fretus, me tandem veritatis cognitionem assecuturum esse: Sed proh dolor! nihil aliud comperio, quam quod glabram, & lubricam serpentis lubrici caudam manibus teneam, quæ subinde elabens magis ac magis me commaculat. Proinde firmiter constitui, nisi propediem mihi Deus bonum aliquem amicum miserit, qui ex tanto labyrintho me miserum educat, omnes libros, omnia instrumenta, & omnes materias, quibus tantum temporis frustrà transmisi, ac tantorum sumptuum jacturam feci, in ignem conjicere, ac Vulcano tradere, ut tantorum laborum irritorum, & tam inutilis coctionis tædio liberer. Si tibi tamen placeret, nullus dubito, quin paucis verbis ex tot errorum salebris, & impeditis viarum ambagibus in rectam semitam me reducturus esses, probè cognitum, & perspectum habentem, quod tantis arcanis totius ætatis tuæ annos, omne tuum studium, omnesque labores impenderis, & divinâ gratiâ favente, veritatem ipsam consecutus sis. Idcircò submissis precibus à te contendo, ne me auxilio tuo destitutum dimittas, sed pro tuâ innatâ bonitate, & benignitate, mihi amico tuo, fraternâ institutione, & manuductione succurras. Quod si non feceris, aut facere nequiveris, nihil restat, quàm ut artis hujus veritatem, & possibilitatem, non modò penitus

nitus in dubium vocem, verumetiam firmiter mihi persuadeam, aureorum montium pollicitis referta illa scripta, nil nisi aniles esse fabulas, & inanes otiosorum hominum speculationes, & vana somnia, licet à tantis viris profecta sint. B. Quid ex te audio? te tam demisso & fracto animo esse nunquam credidissem. Num ideo scripta Philosophorum contemnere, & susque deque habere velles, quia captum tuum fugiunt, & tibi intellectu difficilia sunt? Talia te cogitare, ne dicam, dicere nefas est. Hoc potius tibi persuadeas velim, te arcanorum, & donorum tanti momenti nondum dignum fuisse. Licet homo, plurimis laboribus improbis, se in hoc mundo excruciet, sudoribusque indefinentibus suum corpus affligat, sine divinâ tamen benedictione nihil efficiet. An tibi ignotum est Pauli Apostoli dictum? Non est currentis, neque volentis, sed solius Dei miserentis. Iis igitur te annumeres oportet, qui frustra cucurrerunt, nec tibi à Deo injuria orta est. Annon Christus dicit? Non omnes, qui dicunt, Domine, Domine, regnum cœlorum ingredientur, sed ii soli, qui voluntatem Patris mei faciunt. Teipsum examina, & vide, quomodo res tuæ apud Deum constitutæ sint. A Deo, & non à Philosophis tantarum rerum largitio proficiscatur oportet. Philosophus veritatem scribere quidem potest, sed in potestate suâ non habet, ut tibi benedictionem divinam, omnium bonorum cardinem, largiatur. Tanti momenti Arcana non

hominum, ſed Dei dona ſunt, qui, quibus vult, eadem largitur. A. Num hæc eſt conſolatio, & doctrina, quam abs te petivi? Te non rogavi, ut eſſes Pater confeſſionarius, qui ex me factorum meorum confeſſionem audires, ſed potius, ut bona, & utili manuductione, & inſtitutione ignoranti & imperito mihi ſuccurreres. Haud enim me latet, Arcanorum tantorum impios nunquam compotes fieri, in quorum numerum me referri nolo. Petitionis meæ duntaxat rationem habe, & introitum ſaltem mihi oſtende, per quem in rectam, & regiam viam intrare queam: Deum precandi, ac indefeſſo ſtudio laborandi curam mihi permitte: Deum precibus & laboribus meis benedictionem ſuam non denegaturum ſpero. B. Quoniam ſummo ſtudio, & contentione indefeſſa te huic tantæ rei inhiare video, non poſſum, quin tibi viam illam commonſtrem, per quam ipſe progreſſus ſum, & quidem ad eum uſque locum, ad quem mihi jam pervenire licuit. Equidem Promiſſam terram ante oculos meos verſari video, ac fines ejus quotidie conſpicio, neutiquam dubitans, propediem ingreſſuro mihi ejus fructuum ſuaviſſimorum fruendi facultatem datum iri, ſi nullum impedimentum tantâ felicitate me prohibuerit. Quantum ad te attinet, cum pedum tuorum promptitudine, & celeritate mihi antecellas, nullum dubium eſt, quin æquè celeriter ac ego in eam ſis perventurus. Sed primum dic mihi, quibus rebus tuos ſumptus, labo-

res,

res, & ipſum tempus pretioſum inutiliter impenderis, ut te, quantum in me eſt, ex erroribus tuis expeditum in rectam viam commodius reducam. Æger locum vulneris, & doloris Medicum celans, ab ipſo auxilium, & medelam fruſtra exſpectabit. Erranti medicina confeſſio. Fatere igitur veritatem, ut audiam, quibus rebus ſeductus in tot errores incideris. A. Ordine cuncta recenſere non poſſem, quamvis ipſum tempus, ad faciendum illud, mihi ſuppeteret: Tuum verò tempus longè pretioſius, non permittit, ut ſtultis laboribus meis audiendis tranſmittatur: Vehementi quoque tædio me afficit tot laborum irritorum, ac tantæ non modo temporis, verum etiam ſumptuum jacturæ recordatio, quorum omnium meminiſſe horreo, tantum abeſt, ut longâ recenſione eadem repetere velim. Itaque facile conjecturâ colligere potes, quod non ſenſui, ſed nudæ literæ in Philoſophorum ſcriptis inſiſtendo, à rectâ viâ aberraverim, & in tot errorum ambages me ipſum præcipitem dederim. Vegetabilia, Animalia, & Mineralia perſcrutatus, quia Lapidem ſuum Vegetabilem, Animalem, & Mineralem eſſe Philoſophici ſcribunt. Veram materiam ſub manibus non habuiſſe mihi videor. Nam ſi in aliqua ſe corvi caput conſpiciendum præbebat, cæteri tamen colores à Philoſophis deſcripti, ut ſanguis draconis, cauda pavonis, lac virginis, coagulum; ac cumprimis ruber, & in igne conſtans Salamander ille, nuſquam apparebant.

Si hæc, in aliâ ſanguis draconis, aut lac virginis in conſpectum prodibat, cæteri tamen colores, ac reliqua ſigna quorum Philoſophi mentionem fecerunt, nullibi ſe conſpicienda offerebant. Quos & qualeſcunque labores adhibui, & quibuſcunque materiis uſus fui, irrito conatu oleum & operam perdidi, cum nihil unquam boni ex laboribus meis prodiderit. Hinc factum eſt, ut ferè tandem mihi perſuaſiſſem, ex unâ materiâ, & uno eodemque labore conſequenter unum colorem alteri ſuccedere, & primum in putrefactione caput corvi, inde caudam pavonis, & ſic deinceps ſanguinem draconis, lac virginis, coagulum, caſeum & tandem fixum Salamandrum, ſolius externi ignis auxilio, oculis ſe ſubjicere nunquam poſſe. Sed quia ex tuorum ſcriptorum lectione mihi innotuit, quod in laboribus tuis, omnes illi colores, eo ordine, quo à Philoſophis deſcripti ſunt, ſe tibi conſpiciendos obtulerint, tibi tanquam homini, conſcientiæ tuæ rationem habenti, fidem adhibeo, & firmiter credo, te talia non ſcripturum fuiſſe, niſi eadem manibus tuis operatus eſſes, & adhuc quovis tempore operari poſſes. Adjumento mihi ſaltem ſis velim, ut vera materia, ejuſque clavis mihi innoteſcat, & ego efficiam, quò color unus poſt alterum, in uno vitro, atque ſolâ unius ignis ope in conſpectum prodeat. Si hoc fecerit, optime contentum me fore confidas. Reliqua, quæ Multiplicationem, Projectionem, & talia his affinia, ſpectant, meo ipſius ſtudio, me poſtea indaga-

dagaturum non diffido, si modo tandem aliquando rectam, veram, ac regiam viam ingredi mihi liceat. B. Ne tibi quæso tantum fumus, & facilia factu pures, quæ dictu sunt facilia. Annon in Bernhardo legisti, quod quidam, juxtà cum ipso, magnum illud Arcanum habuerit, exceptâ solâ Multiplicatione, quam ipsi Bernhardus revelare abnuit, quippe habenti eodem libros, quorum lectione Bernhardus Multiplicationem adeptus est. Sed age, quoniam nihil aliud precibus tuis hâc vice à me contendis, nisi Materiam, & clavem aliquam, tuo desiderio satisfaciam, quantum quidem tempus & occasio in præsentia permittent.

Attentione igitur diligenti animadverte ea, quæ tibi dicturus sum, & quibus etiam audacter fidem adhibere potes. More multorum te non seducam, nec alia tibi revelabo, quàm quæ propriis manuum mearum laboribus expertus sum. Literarum ipsarum ductum sequuturus non errabis, nisi Deus non permissurus, peculiare aliquod impedimentum tibi objecerit.

Quantum ad Materiam àttinet, ex quâ Philosophi Medicamentum illud Universale confecerunt, eam non unam aliquam, sed diversam esse comperi, quod ex Philosophòrum scriptis clarè patet, apertè innuentibus, unum hâc, alium alia viâ & materiâ usum fuisse, tandem tamen exitus optati compotes factos. Unde necessarium esse videtur, ut diversæ materiæ, ex quibus unum & idem

idem fieri debet, intetioribus ſuis partibus non diſſimiles ſed ſimiles ſint, licet externa ſpecie illud præ ſe non ferant. Etenim fieri poteſt, ut duæ, tres aut plures res, externâ ſpecie quidem multum diſcrepent, internis verò ſuis partibus adeò inter ſe conveniant, ut ex uno idem quod ex altero, fieri queat. Exemplo ſint herbæ alicujus ſemina, & radices, quæ externo aſpectu nullam ſimilitudinem cernendam offerunt. & tamen unam, & eandem herbam producunt, ſi in terram ſeorſim inſerantur. Ità etiam cum Metallicis germinibus, & ſtirpibus comparatum eſt, quæ non minus ex radicibus, quàm ex ſeminibus Metallicis pullulare ſolent, adeò ut ex Metallicâ radice ejuſdem naturæ & formæ arbor exſurgat, qualis ex ipſo ſemine naſcitur. Conſtat autem in Metallico Regno Saturnum ſive Plumbum radicis, Martem ſive fetrum trunci, Jovem ſive Stannum corticis, Mercurium ſive Argentum vivum ſucci inter truncum, & corticem, Venerem ſive Cuprum foliorum viridium, Lunam ſive Argentum florum alborum, & Solem ſive Aurum maturi fructus aut ſeminis locum obtinere. Si igitur planta Metallica multiplicanda eſt, multiplicatio illa commodius effectui non dabitur, quam per ☉. & ♄. ſive per arboris ſemen, & radicem. Quicunque autem hoc in genere aliquid præſtare deſiderat, commodiores materias non inveniet, quàm Solem aut Saturnum, i. e. Aurum & Plumbum. Vulgaria illa tamen non intelligo, ſed talia, in

quibus

quibus Aurum adhuc immaturum & invisibile latet, artis auxilio visibile, fixum, maturum, & constans reddendum. Ità idem, quod superius in Sole cerni potest, & visibile in oculos incurrit, itidem inferius in Saturno invisibile reperitur. Atque ità res ipsa monstrat, quod ex duabus rebus, externa specie dissimilibus, unum idemque ipsis simile confici queat, quia internæ ipsarum partes, unius & ejusdem sunt naturæ, & externa eorum discrepantia non nisi ex impuritate, & maturationis defectu oriatur. Proinde ex Saturno, tanquam ex immaturo, & impuro Auro boni quid producendum est, necessitas postulat, ut probè lavetur, & ex probè loto Auri primum Ens extrahatur, & figatur. Sin verò ex maturo Auro melius adhuc educendum, iterum prius putrescat, ac in nihilum redigatur oportet, quàm aliquid nobilius ab ipso proficiscatur. Nam simile est Vegetabilium semini, quod nullam sui multiplicationem admittit, nisi prius terræ immissum putredine consumatur, quod ipsius Christi Domini nostri testimonium comprobat, dicentis, nisi granum tritici putredinem in terrâ subeat, fructus proferre nunquam poterit. Firmum itaque & ratum omninò est, Aurum in meliorem gradum transponi non posse, nisi iterum destruatur, & in tale corpus redigatur, ex quo in pristinum suum corpus aureum reduci nequeat. A. An unquam fieri posset, ut in igne tàm constans Metallum eo pacto destruatur, ut ad pristinum suum corpus re-

dire

dire non possit? Equidem de magnis facinoribus non est quod glorier: Hactenus aliquot annorum spacio auri coctione me cruciavi, illud variis aquis acribus dissolvi, & flavo suo colore per retortam, & alembicum ascendens destinavi, sed in ejusdem præcipitatione nil aliud consecutus sum, nisi aurum vulgare, quod ne minimam quidem mutationem, aut emendationem admiserat. Unde tandem cum pluribus aliis apud animum meum statui, Aurum Vulgare non posse esse Lapidis Philosophici materiam, nec plus Tincturæ corpore suo occultare, quàm quidem indigeat, ac proinde alia alba corpora Metallica tingendi facultate non pollere. B. Te in hanc opinionem incidisse haud miror: Sunt alii plures, qui juxtà tecum in eadem opinione versantur: Imò de hâc re mihi ipsi magnum dubium fuit, an Aurum interioribus suis partibus plus coloris occulat, quàm exteriori specie præ se fert. E contrario tamen verisimile mihi non potuit fieri, tot magni nominis viros, hominum seducendorum causâ, tantas fallacias, & tot mendacia literis mandasse. In hac dubitatione fluctuanti mihi, post varias, ac multas inquisitiones, tandem se veritas fortè fortuna obtulit, ita ut jam manifestè erroris mei convictus, credere cogar, ex Auro veram Tincturam, imperfectiora Metalla tingentem, elici posse. Quæcunque oculi cernunt, & manus contrectando palpant, iis fidem adhibere oportet. A. Gaudio exultat mihi animus, ex te audienti,

quod

quod veritatem videris: quod me quoque tandem aliquando exhileraturus sis spero. Q. Quinquid penes me erit, ut commodo tuo serviendi causa exequar, neutiquam tibi denegabo; sed hoc scias velim, ipsius veritatis splendorem mihi quidem affulsisse, sed opus ipsum, ob temporis inopiam, nondum à me ad finem perductum esse, nihilominus tamen certo, & firmiter persuasum habente, si nihil impedimenti intercesserit, me illud optato fine absoluturum esse. Cum autem haud paucis annis me inferior sis, & tam tempore, quàm aliis commoditatibus abundes, multò citius te operi isti colophonem impositurum considerem, si tibi palàm fecero ea, quæ mihi jam ex laboribus mearum manuum innotuerunt. A. Macte hac tua liberalitate, & me felicitatis tuæ participem redde, ut honestatis studiosum virum, tibi & tuis in æternum devinciendum. Quicquid laboris pro te suscipiendum erit, promto ac lubente animo suscipiam, atque institutioni tuæ salubri in omnibus morem geram. B. Age tibi confido, pollicitis te omninò satisfacturum, quibus fidem tuam astringis: manu tamen datâ mihi promittes, te artem summo silentio velaturum. A. En dextra, fidesque.. B. Arrige igitur aures Pamphile, accuratâ attentione ut exipias, quæ tibi dicturus sum. A. Attendo. B. Primò tibi scitu necessarium est, si quid boni ex Auro vulgari conficere desideras, planè tibi ex animo ejiciendam opinionem, quæ haud paucos in non

exi-

exiguas difficultates præcipitavit, putantes, unius aut alterius Menstrui adjumento colorem ex auro extrahi, & argentum eodem colore aureo extracto tingi, atque auro albo colorem suum, per alia minora metalla, antimonium puta, cuprum, aut ferrum reddi posse. Has cogitationes ex animo tuo penitus dimoveto, utpote pluribus & temporis, & opum jacturâ constantes. Varii modi sunt, quibus auro colorem suum extrahere novi, non tamen hic necessariis. ut longâ recensione enumerentur, cum nihil omnino lucri, sed temporis potius ac sumptuum jacturam inferant. Tuum est, illud unicum accurato & indesinenti studio meditari, quo pacto aurum, destruas, occidas, ac per putrefactionem cogas, ut internum, & invisibilem suum colorem in apertum producat atque è contrario suam externam & visibilem flavedinem intrò vertat. Nam Aurum ipsum nihil aliud est, nisi mera Tinctura, ad quam acquirendam nulla aliâ re opus est, nisi verâ clavi, quæ aurum reseret, invertat, ejusque invisibilem colorem visibilem reddat. Porrò illi etiam non sunt audiendi, qui de auro in sua tria principia, Salem puta, Sulphur, & Mercurium reducendo, de principiis istis tribus ab omnibus suis impuritatibus liberandis, & de iis tandem probè purgatis de novo iterum conjungendis, ac in Universalem Tincturam figendis imperitissimas nugas jactant. Somnia sunt, quæ nunquam fieri possunt, & cum somno evanescentia, lucri vanâ expectatione hian-

hiantes avaros deludunt. Nec enim feces, quibus aurum inquinatum garriunt, ullæ adſunt, neque ipſum etiam ☉ in tria illa principia ſè diſtrahi, & diſſolvi patitur. Ac ſi illud fieri poſſe concederemus, quid ex tàm irrito labore commodi auro obtingere poſſe ſperaremus, cum tali ſeparatione ne minimam quidem ipſi emendationem accedere videamus. Ratum igitur, & firmum manet, aurum nec ullas feces continere, nec etiam reſolutionem in tria illa principia admittere, ſed potius requirere,ut radicaliter ſolutum debita putrefactione aperiatur. Supervacaneus eſt etiam labor illorum,qui Cementorum falſorum ope Auro animam ſuam extrahere conantur: Nam licet interdum cementationes tales ſuccedant,ut ☉ ex ipſis planè album eximatur, nihilominus tamen tale ☉ album adhuc ſuum colorem ſecum habet, quem ipſi parum Salispetræ influxu injectum facile reſtituit. Albor enim ille evaneſcit, & veritatem prodit, aurum neque flavum ſuum colorem perdidiſſe, neque ponderis ſui jacturam feciſſe,cum utrumque in Cemento retinuerit. Inſcii nos ipſos haud raro decipimus,dum perſuaſum habemus, quod Aurum per Sales ſuo colore ſpoliaverimus, cum tamen ipſum ex Salibus Sulphur quoddam attraxerit,à quo album eſt redditum. Experto crede Ruperto: Expertus loquor,nec ſomniis diſtentum caput gero. Exemplo rem declaro: Auri parum in Aqua Regis ſolve, ſolutionemque

Tartaro in pulverem redacto affunde, ita ut affusa ipso Tartari pulvere abſcondi, & velari queat. Tartarum ſolutione auri humectatum impone crucibulo forti, quod operculo luto probè munito teges; aut potius thecæ, aut vaſi cementario inde, quod commodius erit. Vaſe ipſo igni cementationis immiſſo, Aurum peculiare ſulphur extrahens album, & fragile evadet, poſtquam liquatum ſales à ſe removerit. Quis hîc non crederet, auro ſuum colorem à ſalibus ſubtractum eſſe, cum tamen contrarium evenerit. Parum quippe ſaliſpetræ, aut ipſum cineritium, ſive cupella omnem alborem abigere, & flavum ſuum colorem priſtinum reſtituere poſſunt, quod ipſum aliquoties feci, ac propriis meis manibus expertus ſum. A. Nunc iterum aliquid novi ad aures meas pervenit. Quis eorum, qui albiore, quam Lunâ, colore tinctum aurum ſuum ex cementoriâ thecâ exemerunt, non credidiſſet, ipſi Tincturam ſuam penitus ademptam eſſe? Quod quoniam itá ſe non habet, neceſſe eſt, ut aliquod aliud arcanum, & miraculum ſub tali actione lateat. Aurum, ſine metallorum alborum auxilio, album reddere, res profecto haud parvi eſt momenti, atque ideò majoris admirationis, quia ignotum eſt, unde albus ille color originem ſuam ducat: Ex aquâ regis eam capere nequivit, nec Tartaro eandem acceptam ferre potuit, quod me in tantò majorem admirationem rapit. Hunc ſcrupulum quæſo mihi exime, & rem

enu-

enuclea, ſub quâ magni, & arcani quid latere, non ſine gravi ratione arbitror. B. Auribus attentis verba mea excipe: Ut omnia quaſi uno actu, & ictu accipias fieri non poteſt: Hoc de Auro opus in principio tantum aggredere; de aliis arcanis poſteà ſuo tempore agimus. Hoc unum tamen hîc notes velim, ſulphuri illi, quod aurum adeò album, & fragile reddidit, magnum cum ipſo commercium intercedere, eò quod ab auro tàm facili labore ex Tartaro extractum eſt. Hinc ſuſpicari quis poſſet, ſi aurum concluſo cemento diutius detineretur, aut relinqueretur, ſulphur illud, quod aurum tàm album reddidit, tandem in auro rubrum, & fixum evaſurum. Omne enim ſulphur eſt Tinctura, quando fixum eſt factum, & ab aliis metallis ingreſſum acquiſivit. Arcanum hoc magni fac, accuratioreque meditatione hujus rei proprietatem expiſcare, quippe multum boni inde erues. A. Equidem animadvertere poſſum, plus in receſſu hæc habere, quàm fronte promittant. Rem accuratiore indagine excutiam: Forſan hæc via propior eſt, quàm illa, quæ inverſionem auri requirit. Apud Philoſophos me legiſſe memini dicentes: Aurum ſuum tingere non poſſe, niſi prius tingatur, nec etiam rubrum colorem ſuſcipere, niſi prius dealbetur. Naturam infinitis divitiis opulentiſſimam eſſe, nec tam celeri perſcrutatione perquiri poſſe video; quantò diutius quis quærit, tantò plura inveniendo offendit, adeò ut tan-

dem tanta bonorum copia se quærentibus offerat, quæ electionem ipsis difficilem & dubiam reddunt, cum unum perinde ac alterum bonitatem & utilitatem suam commendet. Verba porrò tua intellectu, & auditu admodum difficilia sunt. Fidem enim omnem superare videtur, quod constantissimum in Igne Aurum ita mutari possit, ut non sit amplius aurum, ac ægrè, imò penitus, artis adjumento in corpus suum pristinum reduci non possit. Sæpe Philosophos frequentibus lectionibus percurrenti mihi occurrit sententia ipsorum, quâ statuunt, aurum putrefactione corrumpendum esse, si melius quid, & nobilius ex ipso nasci debeat: Sed cum res mihi videretur omnem facultatem naturalem excedere, atque omninò fieri non posse, ut tàm constans materia putredinem aliquam subiret, Philosophos aliud aliquid, illa putrefactione suâ, intellexisse, ac designasse ratus sum. Interea tamen possibilitatis, & veritatis demonstrationem summo desiderio abs te expecto. B. In nomine Domini igitur propius ad me accede, & attende ad ea quæ tibi monstrabuntur. Hîc Auri vulgaris semunciam imponemus huic Aquæ forti ex Vitriolo, & Salepetræ confectæ, cui eodem vel aliquanto majori pondere, quod aurum habet, nostrum Salem Ammoniacum adjungemus, sine quo Aqua Fortis sola Auro solvendo par non est. A. Quæso cur dicis Salem nostrum Ammoniacum? Num plura & diversa Salis hu-

jus

jus genera inveniuntur? Quando aurum mihi ſolvendum eſt, Aquæ Forti Salem illum Ammoniacum addo, qui paſſim in Mercatorum tabernis reperitur, ac deſolvendum aurum in aquam flavam promptus eſt. B. Tu quidem tuo modo benè loqueris. Quivis Sal Ammoniacus cum Aquâ Forti auro ſolvendo idoneus eſt, nec hic modus ſolvendi pro novo haberi debet, quippe apud omnes Chymicos hactenus uſitatiſſimus, qui aurum ita ſolvere ſolent, quod tamen hoc pacto ſolutum, eſt & manet aurum, ac ſe facillimo labore ex Aquâ Forti rurſus præcipitari, & in ſuum priſtinum corpus, quod ante ſolutionem habuit, per fuſionem reduci patitur. Sed ſi ſolutio, noſtri Salis Ammoniaci ope, peracta fuerit, longè aliter ſe res habet, ac fruſtra reductione tentata, contrarium uſu venit. Si enim aurum, una duntaxat vice, noſtro Ammoniaco Sale ſolutum fuerit, nullam amplius fuſionem aut liquationem admittit, nec per ſe in malleabile corpus Metallicum redit, ſed in tigillo ſpadiceum, aut phœniceum colorem obtinens, infuſibilis pulvis manet. Si Boracem adjunxeris, & Igni fundendum impoſueris, in rubrum vitrum abibit, quod ſignum eſt, quod planè deſtructum, atque in aliud corpus mutatum ſit, Itaque aſſeverare auſim, in noſtri Salis Ammoniaci poteſtate ſitum eſſe Aurum invertendi, immutandi, & ad putrefactionem Philoſophicam aptum reddendi, quod cæteris Salibus quicunque etiam

ſint, & quocunque nomine appellentur, factu eſt impoſſibile. A. Profecto divinum hoc eſt miraculum, conſtantiſſimum in Igne Aurum putrefactioni ſubjicere, & per putrefactionem in nihilum redigere, quandoquidem apud Philoſophos paſſim legi, facilius eſſe aurum arte conficere, quam ipſum aurum à naturâ factum deſtruere. Admirandum igitur hunc Salem eſſe oportet, qui hæc atque alia ferè incredibilia efficere poteſt. B. Admirandum Salem jure, & meritò nomines, cujus in toto orbe ſimilem nemo reperiet, licet adeo vilis ſit res iis, quibus eſt cognitus, ut vix ulli homini veriſimilia videri poſſent illa, quæ ipſo effici ſolent, ſi proprio ſuo nomine appelletur. Annon Philoſophus ille Coſmopolita fatetur, quod ſæpè totius Philoſophici operis arcanum de verbo ad verbum, modo huic, modo illi enarraverit, qui tamen ob operis vilitatem adhibere fidem noluerint? Annon frequentem ſui, & non vulgaris Salis Ammoniaci mentionem facit? Ut autem Sali huic noſtro plus fidei habeas, Turbam Philoſophorum tibi legendam commendo, in quâ cuncta illa invenies, quæ de Sale ſuo literis prodiderunt. Inter alios *Roſarium* audi pauca hæc proferentem. Noſter Sal ſolvit Aurum in rubrum, & Argentum in album colorem, & ex corporeitate ſuâ in ſpiritualitatem tranſmutat, & noſtro Sale illorum corpora calcinantur. Eâ de cauſâ Lumen Luminum, Si Deus omnipotens, inquit, hunc Salem non crea-

creavisset, Elixiri summa manus imponi non posset, ac studium Chymicum vanum esset. *Avicenna*: Si divitiarum conquirendarum desiderio teneris, Sales præpara, ut in aquam claram mutentur: Nam ab igne Sales in Spiritus mutantur; Sales tui operis radices sunt. *Hermes*: Omnes Sales nostro operi, & nostræ arti adversantur, nostræ Lunæ Sale excepto. *Arnoldus*: Unusquisque Sal, qui bene ac probe paratus est, cum natura consentit Salis Ammoniaci, totumque artis nostræ mysterium in communis Salis præparatione consistit. Qui igitur Salem, ejusque solutionem novit, eidem Sapientum Veterum Mysterium notum est. Idcircò cunctis ingenii tui meditationibus in Salis unius naturam incumbe, in quo Veterum Sapientum Sapientia, & Mysterium omne, reconditum, & occultum invenitur, & offenditur. His atque similibus, Salem unicè commendantibus dictis, plena sunt Philosophorum Scripta, qui Salem passim maximè inculcant. Sed quid de his testimoniis tibi videtur? An jam, quæ tibi dixi, fidem apud te inveniunt? A. Imò jam ad tuas partes accedo, unicum tamen hoc adhuc desiderans, & exoptans, ut mihi unâ tantum vice laborem tuum aspicere liceat, posteà ex aliis incredulis etiam credulos facturo. B. Agedum in operando progrediamur, ac Aurum requisito suo menstruo immissum calidæ arenæ imponamus, solu-

tionis celeritatem promovendi causa, quanquam menstruo nostro vires satis validæ suppetunt, quibus sine igne, ac in frigido loco solvendo auro sufficit. Parvo temporis spacio flavum colorem cernemus. En illum ipsum colorem, atque ipsum Aurum ità mutatum, ut in pristinum suum corpus aureum reduci nequeat. Initium habes, quod ab optato fine longo intervallo adhuc abest, ac cum initium jam videris, primum nostri Philosophici laboris diem illud esse scias. Ad soluti Auri putrefactionem jam nobis progrediendum erit, sine quâ nulli colores se conspiciendos præbent. En hoc ipso momento ☉ nostrum incipiet nigrescere, paulò post nigrorem tantum concepturum, ut atramento simile, ad scribendum in chartâ literas idoneum esse possit. Nigrorem hunc Philosophi Caput corvi appellarunt, eodem nomine putrefactionem designantes, quâ secundus Philosophici nostri Laboris dies absolvitur.

Agro igitur nostro satis superque humectato, Deus exorandus est, ut nobis calidum Solis splendorem largiatur; quandoquidem sine Solis calore, vitam in omnibus rebus excitante fieri non potest, ut quicquam crescendo incrementa sumat. Summam jam attentionem adhibeas necesse est. Cumprimum ☉ nostri corpus putrefactum, Solis calorem calefacientem sentiet, nigror ejus, veræ putrefactionis signum, paulatim evanescens, locum cedit plurimis coloribus

pul-

pulcherrimis, quos Caudæ Pavonis nomine insigniverunt Philosophi, tertium nostri Laboris Philosophici diem finientes. Jam ubi adhuc uno die frugifer Sol calidioribus radiis agrum nostrum illustraverit, quid amplius futurum sit videamus. A. Hui, quàm admirandam rem hîc video? quàm brevi temporis spacio, & quàm celeriter cauda Pavonis in crassum sanguinem se mutavit? Quis unquam hoc credere posset, nisi oculis suis videret, & aspiceret? B. Res profecto est, quæ aliquem in summam admirationem, non sine causâ, rapiat, cum tanti momenti operationes ab Arte, & Natura proficiscuntur. Deus omnia benè fecit, qui si non permitteret, ut in operando tàm admirabilis colorum mutatio in aspectum caderet, Philosophus certè dubitaturus esset, an felix successus totius laboris sperari debeat. Sanguinei hujus coloris occasione, natum est Sanguinis Draconis nomen apud Philosophos, qui quartum Laboris Philosophici diem finitum esse ajunt, quando hic color in conspectum prodit. A. Quanta, & quem amiranda, Deus Bone, sunt tua opera, & miracula, quæ quisnam indagatione suâ perscrutabitur? Quotidie jam fidei meæ majora incrementa accedunt, cum ea oculis meis viderim & aspexerim, quæ omnem fidem meam antehac superaverunt. Hoc unum ex te quæro, num in hoc sanguine, qualis nunc est, maxima medicandi morbis potestas lateat, ità ut, sine ulterioris præparationis la-

bore, ad morborum medelam, tutò adhiberi posset? B. Imò incredibilis in eo medicandi facultas occulta latet, quod ipsius Signatura apertè testatur. Frustra enim Deus non signat omnes herbas, cuncta animalia, & quosvis lapides, ex quorum omnium signaturâ externâ facile est cognoscere, ad quid hominibus conducant. Cum igitur ☉ nostrum in crassum sanguinem mutatum sit, indicio est certissimo, quod humani sanguinis emendationi, & curationi inserviat. Nam si antiquissimi Medici Aurum limâ in minutissimum pulverem, aut malleo in subtilissima folia redactum, in gravissimorum morborum, atque ipsius lepræ curâ, non sine fructu adhibuerunt, quantò majus nostrum hoc Aurum, in sanguinem rubrum mutatum, cum sanguine humano commercium habebit. An majore illum, ab omni falsâ, & superfluâ aquâ, cæterisque malis humoribus, atque impuritatibus liberandi, & in pristinum valetudinis bonæ statum reducendi, potestate non polleret? Auri enim virtutes, & occultæ vires non amplius occlusæ sunt, sicut corporale illud limatum, & in folia redactum eas conclusas tenet, sed reseratæ, & vinculis suis liberatæ liberrimis operationibus munere suo funguntur. Ac quoniam cordi, totique sanguini humano, ab antiquis, & hodiernis Medicis Aurum attributum est, & experientia ipsa monstravit, quod cordis affectus præternaturales tollat, & corrupto sanguini medeatur, cur idem sanguis

hic

hic noster Aureus majore efficacia, & feliciore successu non efficeret? Hoc ipso sanguine jam in gravissimis morbis admiranda præstiti, in corporibus humanis, postquam prius panaceâ aliquâ purgata erant. Brevi temporis spacio leprosos eodem sanguine sanavi, qui 10. aut 12. annis continuis, magno suorum sumptuum jactura, celeberrimorum Medicorum operam frustrà adhibuerant, quod testimoniis luculentissimis, quæ penes me habeo, testari possum. Imò adhuc quotidiè in plurimis locis, in quæ sanguinem hunc misi, admirandis sanationibus, detestanda illa lepra, Morbus Gallicus, aliique cordis atque sanguinis morbi gravissimi (ad quorum curam Aurum à Deo cumprimis creatum est) tolluntur. Nam quia, uti dictum est, cor corroborat, & inquinati, ac corrupti sanguinis sordes mundat, atque purgat, necessario fieri debet, ut etiam tam apertos, quam occultos humani corporis morbos expellat. Natura enim corroborata, aliorum etiam exiguorum medicamentorum ope, morbos facili negotio vincit, & expellit, quod multiplici mea experientiâ verissimum esse didici, dum sanguinem hunc Aureum aliis Medicamentis idoneis adjunxi. Dici enim non potest, quid, & quantum in Calculo, Podagrâ, Hydrope, Leprâ, Epilepsiâ, & aliis similibus morbis Chronicis, quæ profundas jam in corpore radices egerant, hoc ipso sanguine ità exhibito, tam in senioribus quàm in junioribus præstiterim. Usum id-

idcirco ejus, ſi Deus mihi vitam prorogaverit, literis mandatum in publicam lucem quamprimum emittam, ut in omnibus morbis communi uſui inſervire poſſit. Hic enim Aureus Sanguis eſſe poteſt Aurum Potabile Antiquorum, quod nullo unquam tempore in priſtinum ſuum corpus malleabile reduci ſe patitur. Reductionem hanc plurimis quidem modis tentavi, ſed nunquam effectui dare potui. Unum tamen hunc caſum excipio, nimirum, quod parum hujus ſanguinis ſicci, ac fuſo auro impoſiti, in hoc idem ingrediatur, ac reliquum, inſtar terræ, ſuperficies ejus innatet: illud paucum verò, quod Auro ſe junxit, tantæ ſit poteſtatis, ut totum illud Auri corpus, in quod ingreſſum eſt, fragile reddat, imò adeò fragile, ut in mortario in tenuem pulverem comminui & contundi ſe patitur. A. Miracula ſunt profectò, quæ video, & audio. Quis diutius dubitaret, an ex hoc Aureo Sanguine Univerſalis & Metallorum ac hominum ægritudines ſanans Tinctura parari queat? Omnes quippe Philoſophi conſenſu unanimi fatentur, Tincturam ſuam jam perfectam, & fuſo Auro injectam idem fragile reddere. Cum igitur hic noſter Sanguis Aureus, adhuc immaturus, & nondum præparatus id efficiat, annon idem melius præſtiturus eſſet, ſi per Incerationem ingreſſum nactus fuerit, ut facilem fuſionem admittat, & promptè ingrediatur. Nullus jam dubito, quin hic Sanguis Aureus, per Incerationem, & Mul-

Multiplicationem tàm colorum, quàm Medicinalium virium Universalis Tinctura evasurus sit, & evadere possit. B. Quanquam tanti momenti Arcanum palàm facere, & tantum Mysterium, tanquam margaritam aliquam pretiosam, porcis objicere non constitui, ejus copiam aliquam parare, & ægris, quibus opus erit, & qui illum à me petent, tantum concedere, quantum ad ipsorum usum requiretur, in animum induxi. Non solum autem ægris, sed etiam aliis, eundem ad alios usus & experimenta adhibere volentibus, præcipuè autem iis, qui tentare vellent, an etiam hic sanguis, secundum Descriptionem meam in album lac, & tandem in rubrum lapidem, ipsiusque operis novâ reiteratione, per omnes colores transiturus esset. Hæc cupiditas, sive veritatis investigatio mihi, ac meis nihil incommodi parare potest. Ars ipsa semper ars manet, nisi forsan contingeret, ut unus aut alter ingenio subtiliore præditus inquisitor, diligente, & seriâ inquisitione, ipsius artis fundamentum perscrutaretur. Quod si fieret, cogitandum esset, à Deo munere hoc donatum esse ipsum, probè jam callentem, quanti illud æstimare, & quo pacto occultare debeat. Hoc certum est, atque indubitatum, hanc meam doctrinam, atque in Scriptis meis præscriptam institutionem pluribus, qui de hujus tanti Mysterii veritate hactenus maximè dubitaverunt, & eam tam evidentibus demonstrationibus à me jam patefactam cogno-

gno-

gnoverunt, incitamento futuram, ut majore & magis ſerio ſtudio tantum Myſterium inquiſituri, ac omnes reliquas coctiones inutiles deſerturi ſint. Nam quid pluribus opus eſt, ubi per pauciora, & faciliora quid peragi poteſt. Omnia tempus habent, ſicut & hoc Arcanum ſuo tempore circumſcriptum eſt. De his autem in ſequuturâ Univerſalis Medicamenti Secundi deſcriptione plura dicemus. Cuncta quæ hactenus vidiſti, benè quidem ſe habent: ſed à fine adhuc longè abſumus. Annon in Philoſophorum Scriptis etiam legiſti, quod albus quoque Olor in opere ſe conſpiciendum exhibeat? Si adhuc uno die Sol ſplendore ſuo Draconis Sanguinem illuminaverit, eum in Lac album mutatum iri videbis, de quo Philoſophi ſcripſerunt, quod tandem in coagulum, aut caſeum abeat. En tibi jam Lac illud, quod paulatim coagulationem admittere, & condenſari vides, & quidem haud aliter, ac Vaccinum lac, alicubi in calido loco repoſitum, quod pedetentim per coagulationem caſeus evadit. Hoc noſtro Caſeo Aureo quinti diei Laborem Philoſophicum claudimus. A Deo gratiæ agendæ, quod hic dies labore ſuo votis noſtris etiam reſponderit. Sed quoniam mihi in mentem veniunt ea, quæ paulo antè à te dicta ſunt, quod vedelicet ab operis fine adhuc procul abſimus, & tamen craſtinus dies ſextus & ultimus ſit hujus noſtræ Septimanæ Philoſophicæ, ac præterea, ſicut mox in initio hujus colloquii no-

ſtri

ſtri monuiſti, totum opus ſex dierum ſpatio perfici velit, ut ſeptimum diem, ab omni opere ceſſantes ſanctificemus, omniſque laboris liberi quieſcamus, Deoque pro omnibus ſuis beneficiis nobis exhibitis debitas gratias agamus: Quia inquam cuncta hæc mihi in mentem veniunt, mirum non eſt, quod etiam magnam menti meæ ſolicitudinem injiciant, quo pacto fieri queat, ut omnia, quæ reſtant, uno ſolo die perficiantur, & ad finem perducantur. B. Curarum vacuus eſto, & nihil aliud facito, quàm ut hoc ſexto die ab unâ horâ ad alteram ignem per gradus augeas, eumque magis excites, ut videas, quo pacto coagulatum noſtrum Lac album paulatim in flavum colorem, tranſeat, eumque illum flavum colorem pedetentim mutando, tandem penitus rubeſcat, & conſtantiſſimum in Igne permaneat. Hunc ruborem fixum Philòſophi Salamandrum ſuum nòminarunt. Vermem quendam reperiri Poëtæ fabulantur, qui in Igne vivens, ab eodem comburi & conſumi nequeat. Poſtquam igitur Philoſophi opus ſuum per omnes colores deduxerunt, & illud tandem conſecuti ſunt, ut fixus rubor ſolus in conſpectum venerit, eum Salamandrum ſuum appellarunt, quo, ſi Inceratio-nem, & Multiplicationem excipias, operi ſuo manum ſummam impoſuerunt, & nos etiam hos labores noſtros præſentes finimus. B. Deo ſit laus & gloria, quod adjumento ejus divino noſtrum opus, tàm felici & optato ſucceſſu, ad finem

finem desideratissimum promoverimus. B. AMEN. Hisce jam operi nostro colophonem imponemus,ut crastinum diem, qui septimus est, in divinæ benignitatis honorem &gloriam sanctificemus. A. Rogo te,charissime Amice, ne tàm immaturo discessu, majoribus molestiis,& difficultatibus me implices. Diversi adhuc scrupuli admodumque graves animum meum angunt, quos nisi ante abitum tuum, quod tamen non spero, ex animo meo exemeris, me maximis tristitiæ angustiis, totâ hâc nocte instante, vexatum iri certo scias, ac proinde cogites, quo animo crastinum Sabbathum celebraturus sim. Nam ad quem usum Salamander ille mihi adhibendus sit,planè adhuc ignoro. Quæ hactenus mihi à te tàm fideliter monstrata sunt, in eorum operatione me non aberraturum confido:sed quod ad Incerationem, & multiplicationem attinet, in quibus, tanquam duobus punctis cardinalibus, omnis operationis cardinem versari, tu ipse dixisti, in iis me Tiresiâ cæciorem confiteor. Antè oculos Terram Promissam positam equidem intueor: sed via ad eam ducens tot, ac tantis salebris, & dumetis obsepta est, ut non videam, quo pacto removeri à me possint. Nisi Benignitas Divina,& auxilium tuum accesserit,quoscunque labores meos irritos futuros video. B. Importunitate tuâ non parum molestiæ mihi creas: Annon vesperam appetere vides? More hominum importunorum facis, qui digitum porrectum

porrectum nacti,totam manum arripiunt.Cumprimum me rogares,nihil amplius petiisti, quàm ut tibi Materiam, & clavem Artis patefacerem: Reliqua te facili negotio investigaturum dicebas? Cur igitur illa non quæris, & me missum facis? A. Quæso ne irascaris importunitati huic meæ, à nimio tantum Arcanum cognoscendi studio profectæ Si pulsabitis, inquit Christus,vobis janua aperietur. B. Quoniam video, nihil quietis mihi prius à te indultum iri,quàm de Inceratione, & Multiplicatione aliquid etiam resciscas, paucis verbis magni momenti res tibi ob oculos ponam:Tu fac,ut diligenter attendas. A. Attendo. B. Nonne apud Philosophos legisti,quando de Inceratione loquuntur, quod mortuo Regi expulsa anima reddenda sit, ut mortuum corpus ad vitam revocetur, & ipse gloriosiore corpore, ac excellentiore coronâ resurgens fratribus suis vilioribus adjumento esse queat Verba Philosophorum sunt ut sequuntur: Hic Anima se demittit,& corpus mortuum reficit. Non enim sufficit ut Rex vitâ privetur, ac ità mortuus relinquatur: Minimè gentium. Necessitas enim postulat, ut ipsi anima sua reddatur,quæ mortuo corpori suum motum, & vitam ademptam restituat. Quo sæpius Regi anima & vita eripitur, & erepta restituitur, eò fortiore & mobiliore corpore, ac magnificentiore coronâ resurget. His paucis verbis tibi Incerationem, & Multiplicationem patefeci. Cæterum aliis

quoque modis fixus noster Salamander incerari, atque fusibilis reddi potest, nimirum additione rerum Mercurialium, quæ celeri suo fluxu, & penetrante proprietate hoc Aurum nostrum destructum penetrant, solvunt, & efficiunt, ut ex utroque, Auro nimirum destructo, & nullam reductionem patiente, ipsoque Mercurio volatili, medium quoddam corpus fusibile fiat, quod ità ex utroque conjunctum, Ignis solius regimine maturandum est. Maturatione hâc Universale hoc Medicamentum adeò fusibile redditur, ut in omnia Metalla ingrediatur, & eadem penetret. A. Nonne hic per Mercurium Metallorum, nostro Auro destructo, & nullam reductionem admittenti, faciliorem ingressum, & fluxum conciliandi modus facilior & propior esset illo altero supra dicto, qui operationes plures iterando Incerationem & Multiplicationem absolvere postulat? B. Propior profectò est, & facilior, quippe multorum tædiosorum laborum expers, cum nihil aliud requirat, quàm ut alicujus Metalli Mercurius cum Auro inverso in vitrum aliquod forte immittatur, & ad fixitatem deducatur. Sed hoc habet, quod Medicamentum, tali ratione, cum Mercurio ad constantiam in Igne elaboratum, colorem suum tàm latè extendere non queat, quàm illud, quod tot reiteratis laboribus fusibile est redditum; quia iteratione quâvis, Tinctura exaltatur, & multiplicatur. Nunquid aliud restat, quod ex me

quæ-

quæras? Paucis age. Veſpera appropinquat. A. Imò plura adhuc eſſent, quæ ex te quærerem. Sed quia importunitatem meam tibi moleſtam eſſe video, iis, quæ audivi, in præſentiâ acquieſcam. Unicum illud duntaxat libenter ſcirem, ubi Regis animam quærere debeam. B. Vide quonam ipſam expuleris: ibi enim tibi quærenda eſt, quam inventam Regi mortuo reddes, atque ita opus tuum de novo rurſus incipies, &c, ſicut primâ vice, per omnes colorum varietates, iterum deduces. Quando enim anima corpori redditur, nova fit ſolutio, iterum putrefacienda, ut in nigrorem abeat. Ulterius progreſſo eadem ratione, ut in prima operatione factum eſt, omnes colores, & quidèm longè pulchriores, quàm in præcedenti labore, apparebant. Caput Corvi nigrius, Sanguis Draconis rubrior, Lac Virginis candidius, & Salamander fuſibilior erit, quàm in priore operatione fuit. Quo ſæpius autem hanc mortificationem, atque vivificationem Regis iteraveris, cò magnificentiorem, pretioſiorem, ac efficaciorem Tinturam nanciſceris. Hoc crede, Deo gratias age, pauperumque memento, cumprimum voti tui compos factus fueris. Die Lunæ ad me revertere, ut etiam, ſicut promiſi, alterum Opus Philoſophicum ex venenatâ, volatili, & nigrâ Magneſiâ Saturninâ conficiendi rationem te doceam. Vale. A. Diſceſſurus hæc ſecum loquitur. Deo ſit laus, & gloria, quod mihi,

unius hominis auxilio, tantam gratiam largitus sit. Hilari animo jam domum purgo, ibi Lunæ diem summo desiderio expectaturus, ut etiam alterum illud ex volatili. & Philosophico Auro opus, ab amico illo mihi à Deo misso impetrem. Perplacet autem mihi hoc ex fixo Auro conficiendum, eam ob causam comprimis, quod semper, in quâvis iteratione, iidem colores appareant, qui in prima operatione se conspiciendos præbuerunt. Tot ac tàm excellentes colores in vulgari Auro delitescere quis unquam credidisset? Si hoc in communi Auro demonstrari potest, quid de Philosophorum Auro arcano expectandum erit, in quo multò plures, quam in vulgari Auro colores, latere ajunt. Vulgari proverbio dicitur, qui ex alio quærit, multa rescifcit, sed se ingratum reddit. Non tamen possum quin homini adhuc unam quæstionem proponam: forsan suavis aliquis radius Solis mihi affulgebit. Ad te redeo, amice. B. Dic quid adhuc desideres. A. In iis quidem, quæ vidi, nihil est quod desiderem: Sed proposito meo maximè inserviret, si ad unam duntaxat quæstionem, quam tibi proponam, respondere non gravareris. Siquidem propemodum omnes Philosophi in Lapidis descriptione monent, Regem cum Reginâ, in peculiari balneo Mercuriali conjungendum, & radicaliter miscendum esse, ut ex ipsis patre nobilior proles nascatur: Martis item, ac Veneris concubitum iidem Philosophi prolixis verbis cele-

celebrant, cupiditas me inceſſit tuam hac de re ſententiam intelligendi. Nam ſi ex hâc Auri cum Argento, aut Martis cum Venere conjunctione, boni quid emergere poſſet, quid tot ſolius Auri coctionibus iteratis opus eſſet B. Via hæc, cujus tu mentionem facis, non incommoda eſt. Ut verum fatear, adhuc propiores ſunt viæ, quas ingreſſus aliquis ſi fuerit, æquè magnorum Arcanorum compos reddetur. Opus ex Auro ſolo eam ob cauſam tibi monſtrare volui, ut oculis cernas, & quaſi manibus palpes, etiam in Auro ſolo ſummos iſtos colores deliteſcere, quod ex millibus vix unus credidiſſet. Cum itaq; de tantâ Tincturâ in Auro latente certior redditus ſis, majore fiduciâ labores tuos aggredi poteris. A. Magis ac magis mihi lux clarior affulget. Satis mirari non poſſum, quando Leonis roſeum colorem aſpicio, quod ex tàm parvo Leone tanta ſanguinis, adeo excellenti, & pulchro colore tincti, copia prodeat, cum tamen ex aliis animalibus multò majoribus vix tantum ſanguinis eliciatur, quod centeſimæ hujus ſanguinis parti reſpondeat. B. Num tu intelligere non potes, quo pacto, & quâ ratione, ex tàm parvo Leone, ſanguinis tàm incredibilis copia, emanare queat? Num tibi ignotum eſt, Leonis, omnium animalium regis corpus totum nil aliud eſſe, niſi merum cordis ſanguinem concentratum, cujus una ſemuncia in pluribus centuriis aquæ cocta, omnem illam aquam in ſanguinem

C 3 con-

convertit, ſicut jam ipſe oculis tuis vidiſti. A. Talia, ac tanta jam in oculorum meorum conſpectum venerunt, ut apud alios de iiſdem, vel uno verbulo meminiſſe non auderem. Nemo mihi fidem adhiberet, & quod pejus eſt, inimici mei, libellorum famoſorum fabricatores peſſimi, multis calumniis, & mendaciis me impeterent, ſophiſtamque & impoſtorem clamarent, ac dicerent, me lignum Braſilianum, aut alium rubrum colorem in aquâ coquere, ac pro roſeo Leonis ſanguine venditare. Non eſt igitur cur ullam hujus tanti Arcani cognitionem præ me feram. B. Cur tu veritatis præconem agere, ipſaque Dei, & Naturæ miracula manifeſtare vereberis? Quâ ratione tibi monſtravi, quod ſummus ille color ex Auro oriatur, eâdem tuis inimicis ora impura obturare poteris. Si fidem habere nolint, quod tantus color in Auro occultus deliteſcat, ab ipſo Leonis ſanguine convincentur, qui forti igne candefactus, & poſteà rurſus in aliâ aquâ coctus, eandem ſimili ratione, quâ priorem, in ſanguinem convertet; quod toties facere poteris, quoties tibi libuerit. Ex his manifeſtè patet. Leonis noſtri ſanguinem incombuſtibilem eſſe. Tres pulcherrimi flores nobis, iſtis noſtris laboribus occupatis, in oculos incurrunt: Primò Viola mixto colore rubro & cœruleo tincta, deinde album Lilium, ac tandem Phœniceo colore fulgens, & immortalis Amaranthus. Sed cur immortalis? quia nec fortiſſi-

tissimus ignis, nec fortissimæ aquæ corrosivæ ipsi illum damnum inferre, aut colores ejus mutare possunt. Amaranthus præ omnibus cæteris herbis & floribus summo, & constantissimo colore tingitur, qui aliorum colorum, quos alii flores habent, more tàm citò non evanescit, sed plures annos constans manet, adeò ut talis herba corollarum, ac sertorum conficiendorum causâ tàm æstivo, quàm hyberno tempore conservetur. A. Si quis tandem aliquando tàm felix esset, ut Amarantho illo potiretur, multis piis virginibus ex eo serta, & corollas confectas offerre posset. B. Ovidium constantem ejusmodi Amaranthum etiam possedisse significant sequentia ejus verba : *Jamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignes, Nec proterit ferrum, nec edax abolere vetustas,* &c. Si Leonis sanguinem ad labores tuos adhibendi cupidus es, Paracelsi doctrinam sequere, in Tinctura Physicorum docentis. Leonis sanguinem roseum, cum glutine albo Aquilæ conjungendum & figendum esse, quæ proxima ad consequendam Universalem Tincturam via esse videtur. A. Mihi hoc auditu gratum est. Roseum Leonis sanguinem habeo, destitutus tamen glutine albo Aquilæ, quod si in potestate meâ etiam esset, sine omni morâ utrumque conjungerem, atque ad fixationem deducerem. Sed hoc satis mirari nequeo, quod Paracelsus Lactis Virginis Dianæ, cum Regis sanguine conjungendi nullam mentionem fecerit. B. Paracel-

ſus ideò nulli injuriam fecit, quod tàm clarè & apertè cuncta non manifeſtaverit, cum aliis Philoſophis idem facere in more poſitum fuerit. Si operi tuo elaborando Aurum & Argentum conjuncta adhiberi cupis, eodem modo Argentum tracta, quo te Aurum tractare ſuprà docui, atque ex eo confice Lac Virginis incombuſtibile, ac nullam reductionem admittens, quod cum incombuſtibili ſanguine Leonis eſt conjungendum, & vaſi imponendum, ut ita hæc duo corpora conjuncta conſtantiſſimè uniantur, ac nulla unquam ſeparatione à ſe invicem disjungi queant. Ut totam rem adhuc melius capias, pauca adhuc ſubjungam. Alba noſtra Aquila, vulgari aquæ impoſita, eandem, in quâ ſolvitur, adeò tenacem, & glutinoſam reddit, ut chartam aut alias res conglutinare poſſit; quamobrem arcanus hic noſter Sal non immeritò Aquilæ Gluten à Philoſophis appellari ſolet. Quæ enim hoc gluten conjungit, ea nullo unquam tempore à ſe invicem ſeparari poſſunt; unumq; hoc vinculum eſt mutuum, quo maritus & uxor devinciuntur, ità ut neutri ab altero ſecedere liceat. Haud multum abludit à matrimonii vinculo, quo maritus & uxor, aut Juvenis, & Virgo, per ordinarium verbi divini Miniſtrum, divino mandato, inter ſe ità devinciuntur, ut nil niſi mors ſeparare ipſos poſſit. Si mas, & fœmina ſine legitimâ, & publicâ matrimonii copulâ ſe jungunt, illegitimos liberos generant, & quando volunt, conjunctionem illam

ſuam

ſuam diſceſſione mutuâ rumpere poſſunt, quia ex Dei mandato, & voluntate profectâ copulâ copulati non ſunt, quæ copula, tanquam Dei voluntas & mandatum, atque univerſalis conſuetudo, non ſolum apud nos Chriſtianos, ſed etiam apud Judæos, Turcas, & Ethnicos, per totum mundum, viget, atque obſervatur. Eam ob cauſam Philoſophis placuit ſimilem copulationem in opus ſuum introducere, non modò Solis cum Luna, verum etiam Martis cum Venere, quæ copulatio ſi poſterioribus duobus defuerit, bono & felici ſucceſſu conjunctio ipſorum frui non poterit, ſicut experientia quotidiana teſtatur. Si verò à Sacerdote matrimonii legitimo vinculo copulati fuerint Mars & Venus, legitimos etiam liberos producent, qui ad regios honores provehi poſſunt. Plus lucis tibi hîc de noſtra Copulatione Philoſophica accendere poſſem, quo videlicet pacto inconſtantiſſimæ, & maximè volatiles res, ejuſdem operatione ità conjungi queant, ut inſeparabili nexu conjunctæ, nunquam poſtea diſſociare poſſint. Sed tu plurium rerum ferendarum jam capax non es. Quicquid hac vice, brevioris temporis cauſâ, omittendum fuit, proximorum congreſſuum noſtrorum diſſertationibus ſupplebitur. Unum quid adhuc mihi ſuccurrit, de quo certior reddendus es. Apprimè tibi, ex Marte & Venere aliquid boni facturo, cavendum erit, à craſſis ipſorum corporibus, quæ leproſa, & ad noſtrum opus inepta ſunt. Sanguinem ipſo-

rum quæras oportet, intimi cordis inquam ſanguinem, & veram animam, in illo ſanguine, Regio ſanguini propinquiſſimo, latentem. Ut autem tàm nobiliſſimo ſanguine potiaris, rusticos non non imitaberis, qui cultro in collo porcorum facto foramine, ſanguinem inde erumpentem excipiunt, ut ex eo farcimina conficiant, ſimul ità bonum ac malum ſanguinem excipientes. Nihil igitur tibi prius & antiquius habendum, quàm ut ex craſſiore illo Martis & Veneris ſanguine, in profundo latentem partem ejus ſubtiliſſimam, quæ revera eſt ſubtiliſſimus cordis ille ſanguis arterialis, ſegreges, ſine quâ ſegregatione non eſt, cur te boni quid effecturum ſperes. Cujus ſegregationis cum te rudem planè, ac ignarum eſſe ſciam, eandem clarioribus & magis perſpicuis verbis ob oculos tibi ponere, conſultum videtur. Puriſſimus ille ſanguis alio pacto nunquam acquiritur, niſi corruptione, & deſtructione totius corporis Venerei, & Martialis, quibus adminiculis hæc corpora adeò craſſa, & dura eo pacto aperiuntur, ut intimus & ſubtiliſſimus ſanguis ex ipſis erui queat. Non tamen neceſſarius eſt ille, corpora ipſorum per aquas fortes deſtruendi, labor, cum Natura nobis eorum corpora aperta in Vitriolo exhibuerit, & ſolum illum ex ipſo, puriſſimam partem extrahendi laborem reliquerit. Nam in Vulgari Vitriolo Mars & Venus à Natura conjuncti reperiuntur: Ex eo puriſſimum ſanguinem nobis evocaturis eligendum erit tale Vitriolum,

lum, quod nunquam adhuc in igne fuit, hoc aqua ſolvendum, per chartam bibulam, ſive filtrum tranſmittendum, & ab omnibus ſuis fecibus ſegregandum eſt. Occultum in ſe continet viridis illius Leonis ſanguinem, viride hoc Vitriolum, ex quo dictus ſanguis Magnetis cujuſdam auxilio extrahendus eſt, ità ut inutile, & craſſum corpus reſiduum maneat. Spiritus enim vivificat, corpus inutile eſt. In extrahendo autem hoc ſanguine puro non nimis avarus eſſe, ſed cavere debes, ne plus quam parum optimi ſanguinis extrahas; quod ſi non attenderis, craſſiorem & impuriorem, cum puro ſanguine elicies, qui opus tuum corrumpet, Nonniſi optimo, & ſubtiliſſimo Martis, & Veneris ſanguine albo indiges, ſed reliquo ſanguine rubro tibi opus non eſt. Sicut enim omnium animalium ſubtiliſſimus & nobiliſſimus ſanguis non ruber, ſed albus eſt; Ita Martis & Veneris ſanguis, qui vires totius corporis, & verum ſemen propagans continet, albo colore tinctus eſt, cujus indagationi operam nos dare oportet. Poſtquam igitur ex 20 libris Vitrioli in aquâ ſoluti 2, aut 3 ſemuncias albi ſanguinis auxilio Magnetis noſtri extraximus, eum eximimus, ne craſſiorem etiam ſanguinem extrahat, quando jam ſanguinis albi non plus invenire poteſt. Cautione ergò opus eſt in extractione illius Tincturæ, ac judicio circumſpecto ea peragenda. Natura enim & experientia docemur, in Maris & Fœminæ coitu, ad ſobolem propagandam,

dam, album ſanguinem naturaliter concurrere, ac in ejus defectu naturam cogi vilem & rubrum ſanguinem dimittere. Itaque omni ope & curâ nobis hîc enitendum erit, ut puriſſimum alborem, & non craſſiorem ruborem extractione noſtrâ acquiramus. Nam in albo illo Virginis Lacte omnes colores, & ſummus rubor occultus jacet. Album hoc Lac Virginis, ſine ullâ aliarum rerum additione, in puro vitro ad fixitatem, & conſtantiam promove, quod poſtquam exſiccatum fuerit, nigrum evadet, ex nigro colore in varios alios transferetur, & tandem ſummo rubore effulgens, operis finem dabit. Quantum ad Magnetem noſtrum attinet, cum is tibi jam notus ſit, ampliore inſtitutione non indiges. Meam de Marte & Venere ſententiam accepiſti, ac quo pacto boni quid ex iis eruendum ſit, intellexiſti. Non eſt cur tibi perſuadeas, ullo alio modo fructum aliquem ex ipſis percipi poſſe. Quantus numerus eſt eorum, qui irritis laboribus ſibi ipſis magnum damnum intulerunt, ſequentes Baſilii Scripta, quibus docet, ex Vitriolo rubrum Oleum conficere, cui nomen Auri Philoſophi impoſuit. In Baſilii Scriptis literalis ſenſus non ſemper, nec ubique ſpectandus eſt. Haud exiguos fructus ex Vitriolo peti poſſe, in nullo dubio verſatur. Philoſophi ipſi utilitatem in eo latentem his verbis innuunt: Viſitabis Inferiora Terræ, Rectificando Invenies Occultum Lapidem, Veram Medicinam. Ut admonitione utili tandem noſtram confabulationem

nem concludam, imperfectorum Metallorum coctione molleftâ fuperfedere te velim,ob impuritates nimias.quæ in feparando multas moleftias creant, & multum temporis fuffurantur. Satius eft,ut ☉ & ☽, operis tui perficiendi causâ, in manus fumas, quæ rubram & albam Tincturam abundantiffimè continentia, à plærifque impuritatibus fuis Natura jam liberavit. Ac licet Univerfalem ex ☉ & ☽,Tincturam ipfe nondum elaboraverim, tantum tamen mihi jam ex tot, ac tàm variis operationibus innotuit, ut nullum mihi dubium fit, quin ex iis Amaranthus immortalis fieri poffit, cui rei fine omni dubitatione fidem adhibere poteris.

COROLLARIUM.

IN hoc Dialogo Sanguis Draconis ita defcribitur, ac fi fex dierum totorum operationibus ad finem deduci & perfici poftulet; nec tum temporis mihi via propior nota fuit. Sed poftea propior & compendiofior ratio mihi innotuit, qua jam,Deo fit laus & gloria,folutum Aurum paucis horis invertere, immutare, & in rubrum fanguinem redigere poffum, & quidem auxilio unius & folius cujufdam albi, Urinofi, & volatilis Sublimati,de quo in Quinta Parte Pharmacopœæ Spagyricæ prolixius egi. Pari ratione fcripfi, quod dictus Sanguis Auri, Spirituum humidorum frequente iteratione, aut abftractione ab Auro fic-

co,

co,tandem fluxum, atque ingreſſum facilem nanciſci debeat: Veruntamen quia multiplices ejuſmodi abſtractiones, non ſolum operoſæ & laborioſæ, ſed etiam ſumptuoſæ multum temporis requirunt, adeò ut tanti arcani ſtudioſus, tot operoſorum laborum tædio affecti, & abjicere ſpem & animum tandem facile poſſet;unicuiq; alternm & propinquiorem fluxum, & ingreſſum acquirendi modum commendo, incerationem nempè per Mercurium, cujus beneficio longe facilius & citius ad propoſitum ſuum ſcopum perveniet. Quanquam mihi hactenus præter plurima alia obſtacula, & temporis inopia impedimento fuit, quo minus ipſiusTincturæ operationi ſupremam manum impoſuerim,certa tamen, & indubitatâ fiduciâ unicuique affirmo, hactenus deſcripto modo illius conficiendæ, & abſolvendæ facultatem certiſſimam dari.Poſteris boni & ſinceri animi integritate relinquo, quæ manibus meis operatus ſum,& quo cunctas meas operationes deduxi. Unicuique, cui tempus & occaſio ſuppetunt, liberum erit finem optatum conſequendi gratiâ periculum facere. Ego gratias Deo benigniſſimo ſummas habeo, quod Leonis ſanguinem copioſe & abundanter parandi,ac in medendo haud contemnenda præſtandi facultas ſe mihi obtulerit, ea propter futuro contento, licet ullo unquam tempore, in Tincturæ Univerſalis operatione abſolvendâ,ad ſcopum optatum non pervenirem.

DIA-

DIALOGUS,

Sive

COLLOQUIUM SECUNDUM,

Seu

Continuatio præcedentis Dialogi, tractans de Universali Medicamento ex nigrâ, venenatâ, & volatili Magnesiâ Saturninâ parando.

A. Laudetur Deus, qui mihi Solis lucem reduxit. E vestigio me ad fidelem meum Præceptorem conferam, & promissam Universalis Medicamenti secundi Doctrinam ab ipso petam. Salve amicorum charissime; Deus faxit, ut hic dies mihi, & tibi faustus & felix abeat. Auditum huc venio, an tibi commodum sit, ut in præsentiâ promissis tuis benignis stes, & me secundi Universalis confectionem, & Præparationem doceas, propterea quod ejus, ex volatili & venenato illo minerali, præparandi modum scire maximopere desidero. B. Ago tibi pro voto tuo gratias, atque tibi eadem precor, quæ mihi precatus es. En tibi hic frustum venenatæ nostræ Magnesiæ Saturninæ, quæ vera est Materia, ex quâ Lapis Philosophorum paratur. A. An hic niger Lapis vera est Materia, ex qua Universalis Tinctura, & Sa-

Sapientum Lapis parari solet? Hoc Aurum Philosophorum esse profectò miror, ac summa flagro cupiditate videndi, quonam pacto ex tàm turpi, & tàm venenato corpore, tàm excellens Medicamentum, & tàm nobilis Tinctura emergere queat. Facilius diverbio vulgari & veteri astipularer, ac dicerem; Quis Æthiopem lavaret, cui natura nigrorem ingenuit? Magis alienum à veritate mihi hoc videtur, quam illud, quod de vulgari ☉, septimanâ præteritâ, proponebas. Cui enim aliquâ duntaxat ratione verisimile videri posset, tale corpus in nihilum redigi, & ad aliquod corpus iterum reduci posse. Sed tempus docebit, an factu hoc possibile, an verò impossibile sit: Id propter summa cum patientia exspectabo exitum eorum quæ mihi monstrabis. B. Iterumne tua incredulitate te huc infers, & increduli Thomæ fidem de novo producis? An me tibi persuasurum putas, quod ligneus nasus faciei tuæ adhæreat? Tempus meum mihi longè pretiosius est, quàm ut inutilissimo garritu ejusmodi transmittatur. Quicquid temporis jam confabulationi nostræ impendo, ideo facio, ut te incrudelitate tuâ liberatum, ad veram, & evidentem fidem traducam, impulsus Sacrarum literarum authotitate, quæ mandant, ut à viâ aberrantes in viam reducamus, eam à Deo mercedem recepturi, quod nostra Stella præ cæteris in cœlo clarius fulgebit. Postulat idem dilectio Christiana, quæ vult, ut aliis benefaciamus. Cum igitur

vitam

vitam tuam Christianam, vivendique rationem piam, multis jam abhinc annis, probè cognitam & perspectam habeam, cur tibi, quæ petis. denegarem, aut te majoris Labyrinthi ambagibus intricarem, qui nimis diu in iis hæsisti? Quæ initio jam capere, aut credere non poteris, eorum fidem tibi exitus faciet. Tui muneris est summâ attentione aurium haurire cuncta, quæ tibi dicturus sum. Omnem enim incredulitatem tibi adimere, & omnem dubitandi scrupulum ex animo tuo eximere facile possum. Quàm torvo vultu hanc nigram mineram aspexeris, mox tamen comperies, quod omnes totius mundi colores pulcherrimi, abundantissimè in eâ reperiantur, quorum Artis, à Philosophis descriptæ, adjumento unus post alium, à nigro Corvi Capite usque ad rubrum Salamandrum, in operatione nostrâ, oculis se subjiciet. A. Hei, quanto desiderio hæc videndo flagro! B. Non tu apud Philosophos legisti,, quod purum ab impuro sit sejungendum, ac purior pars maturanda? Separate, inquiunt, purum ab impuro, & ad maturitatem perducite. Separationem ipsi ablutionem Nigroris appellarunt, quo abluto seipsam albedo conspiciendam præbet. Ignis, ajunt, & Azoth abluunt Latonem. Laton nigram nostram mineram innuit; Azoth ipsorum forte Acetum significat, quod manus non madefacit. Hoc Acetum juxta cum priore nostro Sale Ammoniaco, ex vulgari Sale originem suam trahit. Ambo quoad externam speciem,

ciem, ut & ſaporem, atque efficaciam, & virtutes, ferè nullo diſcrimine inter ſe diſſidere videntur. Tali Aceto nigra noſtra Materia in niveam, pellucidam, & admodum claram aquam diſſolvitur, ſicut hîc videre potes. Hanc aquam Philoſophi ſuum Mercurium nominarunt: In eâ omnes, quicunque in mundo ſunt, colores occuluntur, non tamen prius in oculos incidentes, quàm hæc aqua, aut hic Mercurius aquæ imponatur, ac ſenſim, ſicut Gallinarum ova, foveatur, qui fotus aquam paulatim in terram exſiccat, atque unum colorem poſt alium viſibilem reddit, ſicuti ſtatim videbis. Fac tantummodò, ut Ignis in leni hoc gradu conſervetur; proculdubio de die in diem aliquid novì cernemus. A. Quis unquam crediđiſſet ea, quæ jam vidi? Aqua Mercurialis noſtra, vix triduum in digeſtione commorata, in Lac Album ſe mutare incipit. Octavus jam eſt dies, ac ipſum hoc Lac in Coagulum abit, ac intus in vitri margine pulcher rubor effulget, quem tamen conſtantem futurum non puto. B. Quo pacto conſtans eſſet, cum ſolummodo Sanguinem Draconis repræſentet, ac mox abiturus ſit. Tu modo gradu Ignis hoc primo ſenſim perge, donec tota aqua in cineream terram convertatur, hoc ubi fiet, ignem paulatim uno gradu augebimus, qui cinereum colorem in nigrum pedetentim convertet. A. Diligentiſſimam obſervationem intendam. B. Videſne jam nigrorem, inſtar capitis Corvi glabrum & fulgentem, ac plurimis

rimis nigris, & admodum parvis plumis tectum, id quod Philosophis ansam præbuit, ut hunc colorem apparentem Corvi caput nominaverint. Huic nigro capiti Corvi tertium ignis gradum admove, qui nigrum hoc caput in varios & pulcherrimos colores, instar ☉ & ☽, effulsuros transmutabit. Porro ignis hunc gradum continua, ut omnes dicti colores instabiles evanescant, & alborem oculis cernendum exponant. Alborem subsequetur flavedo, quam tandem conteget constans, & permanens rubor, quo apparente, quartus ignis gradus est admovendus, ut rubor ille magis ac magis exaltetur, ac rubrior evadens, debitam suam fixitatem, ac constantiam consequatur, ob similitudinem à Philosophis Salamander nuncupatus, ac totius operis nostri finis existens. A. Nunquam vel per somnium mihi persuasissem, tàm nigrum corpus, tàm exiguo temporis intervallo, in purissimum alborem transmitti, ipsumque hunc alborem, admirandâ omnium colorum permutatione, in pulcherrimum ruborem abire potuisse. Num igitur materia hunc ruborem adepta pro Universali Medicamento habenda est? B. Imò quia omnes hominum Morbi Curabiles eâdem materiâ pristinæ sanitati restitui possunt, & quidem tutius, melius, & perfectius, quam ullis herbis, aut aliis medicamentis notis fieri potest. Excipio tamen illud Medicamentum, quod ex hoc extractum ac in multò nobiliorem naturam concentratum est. Sed ad Metal-

licam Tranſmutationem antè nil commodi confert, quàm in igne fixum, & conſtans redditum ſit, ad quod efficiendum ſatis grande temporis ſpacium poſtulatur. A. Quantum ego quidem intelligere poſſum, adhuc melius, & hoc ipſo utilius medicamentum parari poteſt. B. Imò multò melius, & utilius, eò quod huic adhuc plures fæces inutiles admixtæ ſunt, quæ ab ipſo ſegregari debent. Cum hoc opere ex hâc Minerâ perficiendo longè aliter comparatum eſt, quàm cum illo, quod ex Auro, multis omninò impuritatibus contaminato, confici ſolet. Ex minerâ enim illâ plurimas fæces ſeparare quis cogitur, à quâ quantò plures impuritates ſemoventur, tanto efficacius medicamentum ipſum evadat neceſſe eſt. Ad præſentem gradum à nobis deductum, ad omnis generis morbos ſufficeret, quod ſi tamen longè efficacius, & fortius efficere deſideramus, opus eſſet, ut plures adhuc inutiles, & nullarum virium fæces ſejungeremus, & puriſſimam Eſſentiam in anguſtias cogeremus, aut in minus corpus concentremus. Sola enim Anima, ſive Quinta Eſſentia rerum morbis mederetur: Cortices nihil commodi adferunt, quod probè notum agricolis, qui prius cortices, & ſiliquas à frugibus ſecernunt, quàm panem coquant. Herbarum, & Mineralium vires medicinales exiguum pondus habent, antequam corporum ſuorum vinculis liberentur. Poſtquam verò à corporibus ſuis ſejunctæ ſunt, minimâ quantitate incredibiles ef-

fectus

fectus præstare possunt, quos nunquam grande corporis illius, ex quo extractæ sunt, pondus efficiet. Vivum specta hominem, ac commodâ valetudine utentem, quàm prompto & alacri motu membra sua movere, & quantas vires exerere queat. Quamprimum autem à corpore anima secesserit, quàm insensibile, immobile, & nulli usui inserviens corpus ibi jaceat. Certum itaque & indubitatum manet, omnium rerum vitam pondere omninò carere, quod hujus Universalis Medicamenti concentratione, & Multiplicatione clarius & evidentius demonstrabitur. Quicquid enim jam parati hujus Medicamenti uncia una efficit, idem semuncia ejusdem in angustias concentrati, præstabit, & quicquid ejus semel concentrati semuncia præstare poterit, idem etiam ejusdem bis concentrati quarta pars sive drachma effectui dabit: Hoc calculo ponendo ulterius progredi poteris. Quò sæpius enim paratum medicamentum concentratur, eò plures ab eo fæces sejunguntur; & quò angustius vires contrahuntur, eò majores effectus producunt. Sic nullo ferè in medicinali usu pondere opus est: Quæ decem grana medicaminis non concentrati præstare solent, ea uno grano medicaminis concentrati efficies, aut in ore retento, si opus est, aut in cerevisia, vel in vino aliquot horas posito. Ità enim non minus vires suas occultas, & virtutes exeret, quàm si aliâs non concentrati medicamenti pulvis propinatus & haustus esset. Præterea tale medica-

mentum longo usu adhiberi potest, sine amissione virium suarum, & quidem non solum interno, sed etiam externo usu in omnibus vulneribus, ulceribus similibusque externis affectibus. Nam omnia recentia vulnera, ut & vetera ulcera, quæcunque fuerint, impositis ejusmodi medicamentis feliciter curantur, si eadem medicamina interno quoque usu adhibita fuerint. Nec multis hîc emplastris, cataplasmatis, & unguentis opus est, qua de re vide plura in Quinta Parte Pharmacopœæ meæ Spagyricæ, ubi de usu hujus Medicamenti agitur. Lege quoque ea, quæ excellentissimus ille Philosophus Helmontius, de alio quodam Philosopho, BUTLERO nomine, narrat, quod nimirum Lapidem habuerit Londini in Angliâ, qui exiguo temporis spacio in olivarum oleo retentus, illud tantarum virium particeps reddiderit, ut aliquot illius guttæ intrà corpus sumptæ gravissimos morbos depulerint, ac exterius ad vulnera adhibitæ, celeriter illa sanaverint. Hæc Helmontius, qui oculatus testis veritatem ipsam testari potuit. Medicamini meo tàm incredibiles vires non arrogo, quippe qui de hac Butleri historia ipse dubitavi, ac credere non potui, quod ullum Medicamentum ad hunc potestatis summæ gradum promoveri posset. Verum enimvero, cum nunc videam, fieri per artem posse, ut rerum vires in angustias cogantur, & concentrentur, jure ac meritò dubitationem hanc ex animo meo ejicio, & illis adhæreo, quæ oculis video, & mani-

manibus tango. Certum igitur, atque firmum, ratumque manet, quod non solum medicinales vires & virtutes hujus materiæ nostræ in tantas angustias cogi queant, ut centies plus in Medicinâ faciendâ, quam crassius illud corpus, efficere possit: sed etiam illud acquiratur, ut occultus ille in Magnesiâ nostrâ nigrâ color, sive Tinctura unà cum illâ virium multiplicatione concentretur, ita ut singulis concentrationibus, concentrati corporis color exaltetur, qui summus color, aut quæ exaltata Tinctura, sine nostrâ Arcanâ Concentratione, nullo unquam tempore acquiri potest. Alioqui enim, si nimirum illa concentratione opus non esset, necessario sequeretur, nostram illam Magnesiam, nil nisi purissimum corpus esse, crassæ, inutilis, & nigræ suæ impuritatis ablutione nullatenus egens, quod tamen à veritate est alienum, sicut suprà de ☉ dictum est, quod in suâ natura, & per se purum, omnibus sordibus carens, & maturum corpus, ac mera Tinctura nil aliud desideret, quàm ut internæ suæ partes foràs, & externæ intrò, per inversionem Philosophicam convertantur, atque ità flavedo externa se intrò recipiat, & interna rubedo foràs exeat, sive, clarius dicendo, flavedo manifesta occultetur, & occulta rubedo manifestetur. Sed non ità comparatum est cum hâc nigra nostrâ, & impurâ Minera Saturninâ, in quâ bonum & malum, purum & impurum, venenum, & medicamen mixta occurrunt, ut omninò necessaria sit nigræ, &

craffæ impuritatis, à nobili, & tenerâ illâ Medicinali Margaritâ feparatio, atque ad fixitatem reductio. A. Hiante ore, apertifque oculis fermonem tuum devoro, & tamen fundamentum totius rei penetrare, & capere non poffum. De tàm artificiosâ, atque omnem meum captum fuperante Concentratione loqueris, de quâ toto meæ vitæ tempore, nihil unquam me inaudiviffe memini, tantum abeft, ut quicquam de eâ legerim. Si quibus antè te illa cognita fuit, maximè miror, quod tàm diu in filentii latebris commorari potuerit. Sin autem plane incognita fuit, tuam felicitatem deprædico, qui tantum Myfteſterium expifcando Naturæ extorferis. Ea de caufa minime mirum jam mihi videtur, quod tua incomparabilia Scripta, à peffimis illis verveсibus, libellorum famoforum fabricatoribus maledicentiffimis, ac cæteris afininis Clamatoribus tàm capitali odio divexentur, & diabolico more contemnantur. B. Bona verba quæfo. A. Haud mirum eft profectò, quod invidiæ, & fuperbiæ Diabolus, quid boni eft, artibus fuis Diabolicis opprimere ftudeat: fed tàm malum conatum nunc demum non orditur, fed mox à mundi principio tantæ nequitiæ omnibus viribus incubuit, nec unquam ab impietate fuâ ceffabit, quamdiu ipfi Deus tam deteftandam impietatem exercendi facultatem concefferit. Quid eft cur invidos & mendaces illos Diabolos metuamus? Recte faciendo neminem timeamus. Deus probè no-

vit, quando, ubi, & quamdiu ejusmodi Diabolis, homines innocentes affligentibus, frænum laxandum, aut inhibendum sit. Animo & cogitatione nos potius ad nostram Concentrationem convertamus, in quâ totius Artis cardo vertitur. Similitudinem tibi proponam, ut promptiore intellectu rem assequaris. Vinum, cerevisiam, aut vini fæces examina, & perpende: Investigando experieris, Spiritus cor corroborantis, aut Animæ parum admodum in ipsis offendes: quæ restant nihil aliud sunt, quàm meræ impuritates, omnibus viribus destitutæ. Si jam Medicus aliquis ægro alicui, corroborandi cordis causâ, grande poculum fæcibus refertum propinare vellet, non tu ipsum inscitiæ & stultitiæ accusares? Licet enim in turbidis fæcibus cor reficientium virium aliquid reconditum sit, ab ipsarum tamen fæcum nimiâ copiâ impeditur, quò minus munere suo debito fungatur. Esto quoque quod suas vires exerere vellet, nihilominus & reliqua impuritas malitiam suam consuetam exerceret, atque ità bonum cum malo confunderetur, aut ab hoc ipso potius superaretur. Hac de causâ nihil magis necessarium est, quam ut bonum à malo prius separetur, quam aliquid ad medicinam faciendam adhibeatur. Quemadmodum igitur operarii inveniuntur ex sordidi vini aut cerevisiæ fæcibus per vulgarem destillationem, & rectificationem, Spiritum cor corroborantem separant, & ad usum suum adhibent, reliquas autem fæces sordi-

das, & inutiles porcis devorandas objiciunt: Ita nos Spagyricæ artis cultores à crassis, sordidis & noxiis impuritatibus, puras vires & virtutes rerum ante separamus, quàm ipsas ægris nostris propinemus. A. Quod ad ea, quæ dicis, attinet, pedibus in tuam sententiam eo, atque vulgari etiam astipulor proverbio dicenti. Loquere quod verum est; ede quod coctum est; & bibe quod clarum est, si vitæ longæ spacio frui desideras. Equidem frugibus purgatis, & nucleis frui gaudeo, cortices & putamina porcis relinquens, quos furfures & stercora sua delectant. Mihi hoc summam voluptatem parit, quod, Deo sit laus & gratia, totum opus jam viderim; atque satis superque totum fundamentum intellexerim, nimirum, quod ab impuriore, & crassiore parte purior, & subtilior segreganda, & per sæpius iteratam separationem, ac artificiosam concentrationem, in subtilissimam, purissimam, & nobilissimam Quintam Essentiam adducenda sit, si quis alicujus momenti effecta producere, ac haud vulgaria efficere proposuit. Quemadmodum autem ex præcedentis nostri colloquii verbis ex vulgari Auro, Universalem aliquam Medicinam conficiendi rationem didicisti: Ita etiam ex hâc nostrâ præsente confabulatione rursus accepisti Universalis Medicamenti confectionem ex Magnesiâ nostrâ Saturninâ, quæ radix est Auri Vulgaris. Etsi verò utrumque Medicamen per se, atque solum excellens admodum, & satis efficax esset, perspicuè ta-

tamen, atque clarè oculis noſtris apparet, quod Utriuſque Univerſalis Medicinæ vires,& virtutes ad longè altiorem gradum ſe provehi patiantur, quod conjunctionis medio fieri poſſe videmus. Hoc ità intelligendum. Quando ſemen propriæ ſuæ radici creſcenti inſeritur,ex ſui generis radice longè meliorem, & ſibi magis nutrientem ſuccum alimentoſum, quam ex craſſâ terrâ attrahit. Docet te hoc, Rapæ ſemen terræ mandatum, quod ea magnitudine rapas profert, quâ eæ fuerunt rapæ, à quibus illud ſemen productum fuit. Ac quotieſcunque illud ſemen ſeminando terræ credideris, non tamen rapas majores,& meliores illis nanciſceris, à quibus idem ſemen profectum eſt. Si autem ſemen rapæ alicujus, alteri alicui, quæ in terrâ jam dimidiam magnitudinis ſuæ partem creſcendo nacta eſt, inſerueris, germinando ſemen illud erumpet, & æquè ac reliqua ſemina terræ inſita,creſcet, at citius tamen, quia in radice, aut matre ſuâ, melius nutrimentum reperit, quam illud,quod terræ inſitum eſt. Unde etiam neceſſariò majorem rapam,& majore rapa majus ſemen procreabit: Atq; hæc eſt cauſa,quod tantæ rapæ exoriantur,quæ unumquemque in ſummam admirationem rapiunt.Tales vidi,quæ 10,12,imo 20 librarum pondus habuerunt. Si periculum faciendi deſiderio teneris, ſeminando in terram projice nonnulla rapæ ſemina, quæ ubi ad ovi magnitudinem rapas promoverint, acuto ligneolo uſque in mediam rapam parvum foramen

men para, eique immitte semen rapæ, foramenque luto figulino, aut argillâ molli obtura, ne incidens pluvia efficiat, ut rapa in putredinem abeat. Sic ex hac rapâ in terrâ existente, & crescente, tanquam in radice suâ semen illud etiam crescit, ac radicem illam suam dilatabit, & ad prolixiorem magnitudinem provehet. Ratio est, quia melius & convenientius nutrimentum, ex sui generis radice, quàm ex terrâ, sibi attrahere potest. Eâdem ratione cum aliis seminibus rem hanc tentaturus, idem præstabis. NB. Ex parvorum raphanorũ seminibus in rapas immissis grandes raphani enascuntur. Hæc propagatio haud ineptè comparari potest cum matre, infantulum suum lactante, qui nutrimentum suum ex maternis mammis attrahit; mater verò ipsa suum ex terræ fructibus alimentum capit, illudque in dulce lac mutatum infanti suppeditat, ut eodem sustentetur. Ut uberiore declaratione totam rem ob oculos ponam, adhuc unam similitudinem hîc subjungam. Feram & nondum adultam piri, pomi, cerasi, aut alius alicujus arboris fructus ferentis stirpem, nondum adultam, sed in primâ suâ ætate adhuc constitutam, & teneram omnibus suis feros, & acerbos fructus ferentibus ramis spolia, & ad imum, atque ex terrâ extantem truncum reseca, & inter ejus corticem, & lignum, quâ parte serrâ est resectum, de aliâ arbore, fructus non feros producente, surculum decerptum insere, eumque probè contrà plu-

pluviam cerâ, aut tenaciore argillâ, &c. muni. Hoc si feceris, ac secundum artem hortulanorum operatus fueris, fertilis ille surculus ex ferâ illâ stirpe ferum succum ad se trahet, ac meliorem reddet, ità ut non amplius feros, sed tales fructus sit laturus, quales illa ferre solet, de qua surculus decerptus est. Si tàm parvus surculus alicujus sativæ & fertilis arboris ferum succum alicujus feræ & silvestris stirpis ità mutare potest, ut longè melior, & nobilior evadat; cur idem in nostrâ Metallicâ Arbore non præstaret Aurum, plumbo tanquam radici suæ, insertum? Meâ quidem opinione, Aureo isti semini, nulla melior terra, ex quâ alimentum sibi attrahat, & se in infinitum multiplicet, quàm propria ejus radix, suppeditari potest. Ea tamen conditione, ut crassæ illi radici, omnes sui crassi & degeneres rami, prius resecando adimantur, ità facilius & promptius succum suum ferum, & degenerem Aureo semini, aut surculo junctum, in nobiliorem mutaturæ, atque millecuplos fructus prolaturæ. Vides, mi amice, quantâ tibi benevolentiâ sim addictus, qui tibi fideliter aperui omnia quæ tibi ad perficiendum tantum opus scitu necessaria esse putavi. Rapæ & Surculi similitudinem probè animo tuo reconde, ac cogita, non temerè aut fortuitò cuncta, quæ protuli, à me dicta esse. Plus enim in recessu habentia, quàm fronte promittunt, longè majora occultant, quam tu tibi persuadere possis. Temporis progressus tibi, in plu-

plurimis adhuc cœco, oculos aperiet, ſi Deus permiſerit. A. Jam in novam admirationem rapiar oportet, conſideratione accuratâ perpendens, quæ mihi de ferorum vegetabilium fructuum naturâ ferâ in cicurem mutandâ narraviſti, & quod ejuſmodi ex ignobiliore, in nobiliorem naturam, tranſmutatio etiam in Metallicis locum habeat. Maximi momenti res ſunt, & meditatione accuratiſſimâ digniſſimæ. Quis autem divina miracula omnia ſatis ſuperque conſiderare poteſt? Nomen ejus ſanctiſſimum ſit benedictum in æternum. B. AMEN. A. Tibi pro tuâ benevolâ inſtitutione gratias quam maximas ago, atque omni vitæ meæ tempore devinctus maneo. Hiſce te & me Divinæ protectioni commendo. B. Quæ tibi, chariſſime Amice, pollicitus eram, eorum fidem liberavi, haud exiguâ voluptate affectus, quod eorum, quæ tibi dixi, ſenſum aſſecutus ſis. Hoc tamen miror, te adhuc plura cognoſcendi non cupidiorem eſſe, nec adhuc plurium enucleationem prolixiorem poſtulare. Mea enim præſentiâ quotidianâ te frui non poſſe noſti. A. Pro his, quæ nunc abs te accepi, quàm maximas tibi gratias ago; aliâ vice Deus plura dabit. Nullius alius rei deſiderio majore jam teneor, quam ut Opus tantum aggrediar, & fructuum ſperatorum fruar: Si benefaciendi animus tibi eſt, benefaciendo, precor, fratrem meum demerearis, ſi aliquid petendi cauſâ ad te venerit, cui aliquo parvo, & tamen

bono

bono arcano auxilium ferre poteris. Hactenus satis stupido institutione accurata peropus est. Sed quid dicendum? Æger medicum quærit; prosperâ valetudine utenti non opus est medico. Quæ difficilia sunt captu, captum ejus superant. Faciliora ipsi commodiora sunt. Iterum vale.

COROLLARIUM.

DOcui in hoc Dialogo, *Lac Virginis album.* postquam per destillationem ex Magnesiâ nigrâ elicitum, ac per rectificationem, & concentrationem in suâ virtute, & efficaciâ exaltatum est, *suâ superfluâ humiditate liberandum, siccamque materiam Ignis operatione per gradus in Igne permanentem reddendam esse.* Accuratioris Declarationis causa, quæ sequuntur, adhuc subjungenda fuerunt.

Fixatio illa, si vulgaris Ignis adjumento perfici debet, longum, & prolixum temporis spacium postulat, adeo ut non sit, cur quis sibi persuadeat. annuo intervallo eam absolvi posse. Propria experientia loquor, qui ipse expertus sum, fieri non posse, ut unus annus hujus fixationis operationi sufficiat, quæ profecto multò longioris temporis decursum requirit. Postquam enim materiam per omnes colores deductam, ad eum gradum promovi, ut candenti bracteæ imposita fluxerit, ac, instar olei siccum corium penetrantis, in ipsam se insinuaverit, satis tamen fixa, &

con-

conſtans non fuit, nec Metallis tingendis ſatisfecit, ſed fortioris Ignis impetum ſentiens in fumum abiit, non tamen ſine poſſibilitatis evidente demonſtratione. Cum igitur debitum fructum afferendo non ſatisfaciat, & ſine alicujus emolumenti expectatione tanti labores non ſuſcipiantur, ac ſperati fructus tamen non antè colligi queant, quàm ipſa materia ad perfectam maturitatem provecta, nullas amplius ignis procellas, etiam vehementiſſimas, extimeſcat, facili conjectura quis providere poteſt, majore, atque prolixiore temporis ſpatio, ſicut jam dixi, ad hanc fixationem opus eſſe, ſi carbonum Igne vulgari perficienda & abſolvenda eſt. Sed qui Arcanum Ignem Antiquorum Philoſophorum cognitum, atque perſpectum habet, ille multò facilius, & celerius ſperatum operis finem conſequetur. Vulgarium, ac fugacium Mineralium natura difficulter admodum, & etiam tardè fixationem illam admittit, quæ carbonum Igne peragitur: Quod diligentem naturalium Arcanorum Scrutatorem celare nolui, illam adhuc admonitionem adjungens, breviore nihilominus temporis intervallo medicamentum admodũ utile parari poſſe, & colorem quamplurimorum pulcherrimorum variationem admirandam ſummo delectamento eſſe. Primo enim intuitu nigrũ caput Corvi conſpicitur, nigri vitri colore ſe in oculos inferens. Nigror hic paulatim diſcedens locum cedit albæ & ponderoſæ maſſæ, à Philoſophis albi oloris no-

nomine insignitæ, & quidem non sine ratione, quia eadem illa materia alba non tàm densa & lapidosa est, sicut nigrum illud Corvi caput; sed porosa, ac haud dissimilis acervo alicui, ex pluribus parvis, & albis plumis constructo. Hoc albore in flavedinem mutato, plumæ illæ evanescunt, ac massa ad priorem densitatem reversa, flavi lapidis formam refert, cujus si parvum frustulum candenti alicui bracteæ cupreæ aut argenteæ imposueris, instar rubri sanguinis primò consistet, ac postea penetrans cupream bracteam foris & intus albo colore tinget, aliquo pacto tamen adhuc fragilem, & in cineritio, seu cupellâ argentum suppeditantem, ac in medicinâ non sine fructu, sicut albus lapis, debilius tamen, operantem. Bractam argenteam instar olei corium, penetrat, flavo colore tingit, quæ per cupellam separata, & Aqua forti soluta, optimum in fundo aurum relinquit. Ulterius operando non progressus sum, longioris, temporisque prolixioris, quod adhuc, ad Tincturam hanc igne carbonum perficiendam, requirebatur, omninò pertæsus, Omnes tamen colores, ut se invicem consequuntur, penes me habeo, quos unicuique monstrare possum, ut evidentissimam & naturæ possibilitatem oculis aspicere queant, quem in finem quoque ejusmodi Tincturas conservare in animum induxi, ut posteritati meæ æternam rei tantæ memoriam præstent. Breviorem verò Tincturas ad optatum finem perducendi rationem,

nem, mediante Igne Philosophorum Arcano, de quo in libello Ignium, & sequente Dialogo agitur, commendabo. Immaturum enim Ens Primum Auri à nulla re facilius, quàm in suo proprio Igne Arcano, sed à nullo Igne Carbonum, in Tincturam speratam excoqui potest.

Ut pateſiat, me veritatem scripsisse, Deo dante, Amicis nonnullos albos, & flavos lapillos transmittam non in Medicina solum adhibendos, sed etiam in Alchymia usurpandos, ut periculum faciendo, reipsa experiantur, etiam Tincturas, nondum dimidiam fixationis partem consecutas, Metalla emendandi potestatem habere.



DIA-

DIALOGUS,

Sive

COLLOQUIUM TERTIUM

Inter B, & C. tractans de vera Universali, & particulari Antiquorum Philosophorum Medicina,

Ex Auro adhuc fugace, ac immaturo, per Arcanum ipsorum Ignem maturanda, quæ operatio ab ipsis Fœminarum Opus, & Puerorum Lusus appellata est.

C. SAve plurimum, mi amice; hunc diem tibi faustum ac felicem precor: B. Eundem tibi prosperum precor: Unde nobis tam matutinus? C. Summo desiderio per aliquot dies expectavi hanc horam, ut te viderem, & tuæ benignæ institutionis fructibus dulcissimis fruerer. A fratre meo missus huc adveni, qui mihi dixit, à te sibi datam facultatem, me hodiè ad te mittendi. Amicè igitur rogo, ne hanc audaciam meam in sequiorem partem capias. B. Minimè gentium in malam partem capio. Significavit mihi frater tuus, quod subtiliorum rerum & Arcanorum adhuc rudis sis & ignarus, atque id propter nullâ alia re indigens, quàm faciliore aliquo arcano, quod & captu facile, & exiguos

ſumptus requirens, tibi utile & commodum foret. C. Ut verum fatear, profunda, & ſubtili meditatione penetranda, ac magni momenti Arcana captum meum rudiorem longè ſuperant; Idpropter hoc tempore nil prius, & antiquius habeo, quam ut factu facile, & haud ſumptuoſum quid nanciſcar, quod in Medicina, & in Alchymia efficere poſſit, ut largiore, & commodiore victu & amictu mihi vitam ducere liceat. Hujus voti mei, ut me compotem reddas, te etiam atque etiam rogo. B. Prudenter te modulo tuo in petendo metiris. Alicui conducunt interdum melius ea, quæ non ſumptuoſa ſunt, nec in operando magnas difficultates objiciunt, quàm quæ multorum ſumptuum, longi temporis, & improborum laborum impendio, acquiri volunt. Petitioni tuæ ſatisfiet; attende. C. Attendo. B. An nunquam legiſti, aut ab aliis auditione hauſiſti, quod Antiquiſſimi illi Philoſophi Univerſale Opus habuerint, non ſolum factu facillimum, ſed etiam minime ſumptuoſum? Aperte enim faſſi ſunt, ad opus ſuum perficiendum, nonniſi duorum florenorum ſumptu, aliquem indigere, ipſumque laborem, ab initio uſque ad finem, nil niſi mulierum opus, & puerorum luſum eſſe. C. Paratu faciles cupedias offers mihi, cui tantum pecuniæ non ſuppetit, quantum ejuſmodi laboribus ſumptuoſis inſumendum eſt. Nec res mea domeſtica permittit, ut coctionibus tàm ſumptuoſis, & laborum maxi-

maximorum plenis, quorum ſæpe incertus eſt exitus, ætatem teram. Ut enim à paucis accepi, minimus etiam error totum opus corrumpere, & in nihilum redigere poteſt, ingente & temporis longi, & magnorum ſumptuum jactura, Operi tanto deditos afficiens. Opus, cui juxtà cum familiari re meâ curandâ vacare poſſem, & exiguos ſumptus impendere deberem, maximè mihi præ cæteris arrideret. B. Facile credo, non ſolum tibi. ſed etiam plurimis aliis illud apprimè placiturum. Sumptus perpauci ſunt; Labores autem exigui, adeò ut ſingulis diebus Ignis, cui materia impoſita eſt, dimidiæ horæ ſpacio curari poſſit. Licet autem Philoſophi ſumptuum pauciſſimorum mentionem fecerint, eoſque duobus florenis circumſcripſerint, hic apud nos, quorum floreni parvi ſunt, illud tamen aliter intelligendum eſt. Antiqui illi majoribus florenis uſi ſunt, Rhenanis videlicet, & etiam aureis Ungaricis, quorum quiſque noſtrates florenos quinque valet. Si hoc modo intelligis, rei veritatem facili negotio tibi monſtrare poſſum. C. Sic rem capio. Parum refert, etiamſi aliquot florenis majore pretio opus eſſet. Nullas res gratis dari conſtat: Contentus ſum; pergamus. B. Si noſtrum opus Mulierum labor, & puerorum luſus appellatur, Mulierum labori, puerorumque luſui etiam ſimile ſit oportet; alioqui ineptâ ſimilitudine Philoſophi uſi fuiſſent. Quibus autem labori-

bus Uxor tua maximè occupata ſit, & quo labore quotidiano ſe exerceat, te non fugit. C. Imò quotidie video, quod in totius familiæ uſum quotidie cibos neceſſarios coquat, & coctos menſæ imponat comedendos. Hoc labore ſingulis diebus ad minimum bis fungitur. Abſoluto prandio & cœna uſurpatas patinas, ollas, orbes, aliaque vaſa rurſus lavat, purgat, & ad novos cibos recipiendos, & in menſa apponendos apta reddit. In eam curam quoque incumbit, ſi forte olla frangatur, aut rimis dehiſcat, nec amplius humiditati retinendæ idonea ſit, ut in ollarum ferrearum defectu, ex luto figulino confectam ollam novam in ejus locum ſubſtituat. Talia ac ſimilia opera in regione noſtra Mulierum Labores appellantur. B. Age talem tibi laborem in Chymicis quoque monſtrabo: Sicut ſequior ſexus carnem, piſces, rapas, olera, radices, poma, pira, aut quæ alia coquenda, prius aquâ purâ abluunt, ollis imponunt, aquam requiſitam affundunt, Igni apponunt, ac tàm diu coquunt, donec, omni cruditate depoſitâ, palato grati, ac jucundi, ſtomachoque concoctu faciles cibi evadant. Aquæ loco carni, & piſcibus vinum quandoque etiam affundunt, ac ſalem requiſitum cum aromatibus, aut odoratis herbis addunt, quò carni, & piſcibus optimum ſaporem conciliant. Salis tamen, præ cæteris aromatibus, & herbis odoratis non oblivifcendum eſt,

eſt, quippe carnes, piſces, alioſque duros cibos plus quàm cætera aromata, corrigentis, atque maturantis. Horum enim, ſi non adſint, carere quidem poſſumus, ſed ſale ad carnem, piſces, alioſque cibos coquendos ſemper opus eſt. Si igitur caro, aut piſces probè coquendi ſunt, aqua ſalſa requiritur: cætera cuncta herbarum, & aromatum odoratorum additamenta, nil niſi bonum nidorem cibis conciliant, & faciunt, ut ipſi & ſapore palatum, & odore naſum delectent. Nam caro, & piſces dum coquuntur, aut elixantur, ſuâ magneticâ virtute tantum ſalis, & grati ſaporis, atque virtutis attrahunt, quantum ipſis opus eſt; quæ reſtant, in aquâ remanent. Cæterum diligentes matresfamiliâs ſuperius ollas ſuis operculis probè claudunt, ne vapores efficaces à coctione in fumum expellantur, ſed apud carnem, aut alios cibos maneant. Negligentes verò matresfamiliâs de operiendis ollis ſuis parum laborant, unde fit, ut bonos & ſuaves illos ſpiritus perdant, & ollas novâ aquâ repleant, quod efficit, ut tàm ſuavem ſaporem, caro aut piſces non nanciſcantur, quàm ſi efficax illa aqua conſervata fuiſſet. Nonnullæ mulieres ad coctionem majore diligentiâ, & curâ attendentes, ollis ſuis, in quibus cibos ſuos coquunt, operculum imponunt plicam habens, per quam collecti vapores ſuaves, & odorati in ſuppoſitum vas deſtillent, quos collectos cuſtodiunt, ut iiſdem, ubi opus fuerit, debi-

E 4 les,

les, & ægros homines reficiant & recreent. Aliæ, ut hujuſmodi labore vacuæ eſſe poſſint, tantum aquæ, quantum opus eſt, ſuæ carni cum ſale, atque aromatibus addunt, atque ità paulatim eam coquuut, operculo vapores abituros cohibentes, ne cibus aduſtionem ſapiat. Hoc facientes novam aquam affundere non coguntur, licet tarda hæc coctio plus temporis requirat, quàm illa, quæ forti, & indeſinenti ebullitione peragenda eſt. Probe obſerva hæc, quæ non ſine cauſâ dico. Examinemus jam alteram ſimilitudinem, & videamus, qui ſint luſus iſti pueriles, ut eos poſtea Philoſophico noſtro operi etiam accommodemus. Quid igitur tibi de luſibus puerilibus videtur? Quibus rebus,& quomodo ludunt pueri. C. Quid ego dicam? Ludunt, pro ut ipſis à parentibus ludendi facultas indulgetur, aut ipſi etiam ludendi occaſionem nanciſcuntur. Quod ad me attinet, meis liberis tantum facultatis non concedo, ut ludant, quando aut quomodo velint. Eos in ſcholam, & templum mitto, & ut interdum horulam unam, recreationis cauſâ, luſibus impendant, permitto, nec alium, niſi globulorum luſum ipſis indulgeo, ut ità modice ſua corpora moveant, atque exerceant, & cibum ſumptum concoquant, quod ipſis longè utilius, quàm ſi ſemper domi ſine omni motu deſidere cogantur: alios ipſis luſus non concedo. Aleatorei chartarum, & teſſerarum luſus pueris non

non conveniunt, adultioribus ſæpe admodum noxii, cumprimis quando abuſu nimio, pretioſum tempus tam inutiliter conſumunt, & modum adhibere neſciunt. Vidi quidem aliâs, quod pueri arenam offendentes, ſplendidos lapillos conquirant, & iiſdem ludant, quod tamen rarò contingere ſolet. Nullus tamen pueritiæ ludus eſt frequentior, quàm globulorum, quo utuntur quotidie, quandocunque, & quodcunque tempus ſuffurari poſſunt. Imò in ſcholam euntes, & ex ea exeuntes mox globulorum ludo ipſos occupatos eſſe videas. Ab eo difficulter admodum cohiberi poſſunt. Si ad globulos emendos pecunia deſtituntur, terræ figulinæ fruſtulum aquâ humectant, manibus globulos fingunt, & indurandos ignì imponunt, quod ſæpius me puerum feciſſe memini. Præter hunc, alius ludus puerilis mihi non eſt notus. B. Age, Rem acu tetigiſti: nunc nobis videndum, an Philoſophi antiquí etiam, puerorum more, globulis luſerit? & an opus ſuum æquè facili negotio in ollis, ac mulieres coxerint. Nam ipſos hunc morem obtinuiſſe neceſſe eſt, alioqui illud cum mulierum labore, & puerorum luſu comparare non potuiſſent. Si in operando mulieres, ac pueros imitari debemus, ſcire etiam nos oportet, quibus materiis, carnis, piſcium, aliorumque ciborum loco, in coquendo nobis utendum, & quæ aqua iiſdem affundenda ſit. Nam ſi boni quid efficere, apud

animum noſtrum ſtatuimus, par eſt, ut etiam ſciamus, quænam illæ ſint materiæ, quæ in aquâ noſtrâ igneâ ſe ad maturitatem coqui patiantur, quæ profecto, ſi ad maturitatem coquendæ ſunt, magnâ cognatione eidem aquæ affines eſſe debent. Cum itaque Aqua noſtra Metallicæ ſit naturæ, & cuncta Metalla, ex ipſâ, in terrâ, quaſi oriantur, & adhuc hodierno die ab eâdem illâ, terreni & centralis ignis auxilio, pedetentim ad perfectionem maturentur, nihil aliud facere poſſumus, quàm ut ſimplicem Naturam, quæ nos nunquam ſeducet, æmulemur, ſicut proculdubio antiquiſſimi illi Philoſophi fecerunt, qui à Natura ipſa ſuum opus admirandum mutuati, nil aliud nos monent, quàm ut Naturam ſequamur, atque ibi incipientes, ubi natura deſert, altius aſcendamus, & imperfectum adhuc perfectius reddamus. Naturæ Deus terminum ſuum præfixit, quem ipſa tranſgredi non poteſt; Ars verò Naturæ multum excellit, atque ea præſtat, quæ Natura efficere nequit. Imò quæ hæc in terra, vix mille annorum ſpacio, effectui dare poteſt, illa uno anno efficit, quod plurimis teſtimoniis comprobare facile eſt. In generandis, & maturandis metallis Natura ſimpliciſſima via utitur, tarda illa quidem, ſed tamen certa. Inde error plurimorum, qui Naturam non ſequuntur, ſed ductum phantaſtici ſui cerebri, nihil unquam boni conficientes, ſed ſemper Johannes

in

in eodem manentes, quoscunque etiam labores suscipiant, & quæcunque impensas erogent: Licet Sapientes Philosophi nobis, illum Naturæ cursum simplicissimum imitandum, multis admonitionibus proposuerint, accumprimis innuerint Opus suum adeò simplex esse, si clarè & apertè illud tradidissent, ut etiam Mulieres illud ludibrio habituræ, & dicturæ essent, à se masculinum genus artem didicisse. Imò adeo vile & simplex est opus, ut nemo credere id possit, quod Philosophis artem quacunque ratione occultandi, & obscurandi ansam præbuit, ne à superbis Sannionibus, qui nimis altè volando sublimia petunt, contemnerentur, & pro Sophistis, aut falsis Scriptoribus haberentur. Atque hæc est maximi momenti causa illa, propter quam hæc ars altissimi silentii tenebris involuta, hactenus ejusmodi Sannionum totam turbam lateat. Sendivogius, ut jam aliquoties innuimus, expresse dicit, quod sæpe de verbo ad verbum totam artem haud paucis narraverit, quibus tamen adeò vile & abjectum illud opus visum fuerit, ut nullam fidem verbis verissimis habere potuerint, Opusque ipsum intentatum reliquerint. Idem Sendivogius, si hoc tempore, inquit, peritissimus Hermes, acutissimus Geber, & illuminatissimus Lullius redivivi venirent, & laboratoria nostra tot, ac tàm variis ex vitro, terra, ferro, aliisque materiis parata instrumenta, & structas fornaces conspicerent,

rent, inſtar puerorum in ſummam admirationem raperentur, quaſi diſcipuli noſtri futuri in iis vaſis, & fornacibus, quæ omnia nos quidem ex ipſorum Scriptis didicimus, deſtituti tamen excellentiſſimo illo opere, quod tàm ſimplici via ab ipſis elaboratum, noſtra ſubtilia & acuta ingenia hactenus fugit. Idem quoque, chariſſime, ait, Ne alarum tuarum volatu te in ſublimen aërem eleves: Opus eſt ſimplex, vile, & abjectum, quod manibus citius comprehendes, quam ingenii, aut cogitationum tuarum ſubtilitate apprehendas. C. Cuncta hæc ad nos ex tanto labyrintho expediendos omnino ſufficere poſſent, ſed quæſo quî fit, ut tanta ſtoliditate nobis adeo difficilia eſſe iſta perſuadeamus, quæ tamen adeo ſimplicia, vilia, & abjecta ſunt? B. Eſt quidem res facilis, vilis, & ſimplex illi, qui ejus cognitione imbutus eſt: At difficilis admodum, & intricata illi, qui Naturæ via ſepoſita, ex libris tantam Artem ſe poſſe addiſcere putat, quod tamen factu ferè impoſſibile eſſe videtur. Philoſophi enim adeò prolixè, intricatè, & obſcurè totum Myſterium deſcripſerunt, ut tàm prolixa, & obſcura ſcripta facilius aliquem à vera & recta via abducerent, tantum abeſt ut in eam reducerent. C. Veriſſimum id eſſe, ipſe comperio, qui nondum hactenus de aliquo audivi, aut legi, quod artem ex libris didicerit. Ferè omnes autem, qui ejuſdem periti fuerunt, aut

divi-

divina inspiratione, & revelatione, aut ab amico aliquo ejus se compotes factos fatentur. Nemo est, qui iis contradicere possit, quæ tuæ sententiæ confirmandæ causa in medium attulisti. Age laborem ipsum aggrediamur ac diligenter Deum precantes, ejus benedictionem exspectemus. B. Attentus itaque esto. C. Ita facio. B. An nunquam Philosophorum lectioctione tibi innotuit, quod siccâ suâ, & manus non madefaciente aquâ, cuncta Metalla imperfecta particulariter ad Auri, atque Argenti perfectam maturitatem promovere possint. Sed hoc effectu non contenti, prima Entia Metallorum, suæ occultæ, igneæ, ac maturantis Aquæ adjumento, ad plusquam perfectam in igne constantiam, & fixitatem provexerunt, & ad Auri formam concentraverunt. C. Me quidem talia legisse memini, licet ob imperitiam, & ignorantiam meam, ne minimum quidem intellectu meo assequi potuerim: quippe mirabilis ejusmodi, & tamen cuivis cognitæ Aquæ omninò nescius, quæ mihi quoque tamdiu incognita manebit, donec digitis tandem monstretur. B. Ecce tibi frustum hujus admirandæ Aquæ, quæ ubique locorum, imò in abjectissimis rusticorum casis, repertu facilis, nulli hominum sui possessionem negat. C. Quis unquam cogitasset, in tàm vili & abjecto corpore boni quid occultum esse. B. Quare nullam hac de aqua cogitationem quis suscipere pos-

poſſet, quandoquidem in propatulo eſt, quod in noſtrâ Aquâ, omnium Metallorum Prima Entia abundè occultentur, utpote in ſemine ſuo, ex quo in terrâ generantur, & ad perfectionem maturantur, Prima illa Entia nonniſi à Magnetibus ſuis ex hâc Aquâ noſtrâ extrahuntur. Ut autem quodque Metallum ſuum habet Magnetem; ità & cuivis ſuus proprius eſt Magnes, à quo in anguſtias concentratur. Per exemplum à Metallis petitum rem declarabo: Si Aquam Cupro repletam habes, & ex eâ Cuprum colligere cupis, facile hoc efficies, ſi aquæ iſti, Cuprum in ſe continenti, fruſtum puri ferri impoſueris, quod ceu verus Cupri magnes, omne ferrum inviſibile ex aqua ad ſe trahet, atque in viſibile, & palpabile Metallum colliget. Si Argentum in aliqua aqua ſolutum, & Inviſibile redditum, recuperare voles, bracteam Cupri puri eidem impone, quod Magnetico more omne Argentum in corpore ſuo congregabit, ac viſibile, & palpabile reddet. Aurum aliquod in aqua aliqua diſſolutum, & latè diſperſum congregandi cauſa, aliquid Mercurii, aut Argenti Vivi aquæ illi immitte, & parumper cum ea coque, ſicut ſuprà cum Cupro & Argento factum eſt: Mox omne Aurum à Mercurio attractum, & collectum iri videbis, ut nihil planè de auro in aqua reſiduum futurum ſit, quippe Mercurii Magnetis ſui attractionem ſequuto. Metallicæ & Magneticæ hæ operatio-
nes

nes nobis ſatis aperto, & manifeſto ſunt documento, & ceu digito monſtrant viam non ſolum particulariter bona Metalla, ſed etiam Univerſaliter Metallis longè meliores res, nimirum Tincturam, vel Formam Auri ex Aqua noſtra fœtida extrahendi per Magnetes, qui Natura ad hanc extractionem idonei ſunt. Aliam ſimilitudinem ſuppeditant terra, & aqua pluvia, quâ terræ fructus madefiunt. Tali terræ, aqua illa humectatæ, tot impone ſemina, quot voles, quodvis eorum, Magnetica ſua virtute, ſui ſimile ſibi attrahet ad ſui multiplicationem, ac reliquis ſeminibus, cuivis ſuum attrahendum relinquet. Si ex hac ſimilitudine tibi ſcopus, quem propoſitum habeo, manifeſtus fieri poteſt, tibi auxilium adhuc ferri poteſt; ſin minus, non video, qua ratione tibi ſuccurri queat, cum hic multas alias circumſtantias uſurpare nimis prolixum foret. Quando enim nobis certò conſtat Primum Ens, ſive ipſam Formam Auri copiosè in Aqua noſtra occuli, jure ac merito optimum illud, nempè Formam Auri quærimus, & reliqua Metallorum Entia Prima in Aqua relinquimus. En tibi aliam ſimilitudinem: In una eademque aqua ſolve ☉, ♀, ♂, ♃, ☿, ut ità cuncta illa Metalla in eadem commixta habeas. Si optimum eorum, puta ☉ elicere deſideras, quid tibi cætera incommodi afferent, ſi in aqua remaneant. Qualem igitur Magnetem illi aquæ immiſeris,

tale

tale Metallum etiam extrahes. Si igitur particulariter in Aquâ noſtrâ ☉ & ☽ quæſiverimus, par erit,ut Spirituali ☉ & ☽ ſuos Magnetes objiciamus, quibus præcipitata adhæreant, ac paulatim figantur. Sin ☉ atque ☽ aliquid melius quæramus, nimirum Auri formam & Tincturam, neceſſe erit, ut etiam talem Magnetem adhibeamus, qui nihil aliud trahat, niſi Tincturam, aut Formam Auri, quæ præcipitata figatur. Hic tibi cuncta, quæ ſcitu neceſſaria ſunt dixi. Si tibi animus eſt particulariter ☉ & ☽ ex Univerſali Aquâ Minerali eruere, eorum Magnetem ipſis etiam objicias oportet, Amalgama videlicet ex Cupro & Argento Vivo. Nam illud ſpirituale Argentum, & hoc ſpirituale Aurum ex aquâ ad ſe trahit, atque ſecum ad fixationem ducit. Sin autem cupidus es acquirendi aliquid melius, quam ipſum eſt Aurum, atque Argentum, nimirum Tincturam, eidem quoque ſuum proprium Magnetem adjungas oportet, cum ſine ipſo nihil omninò effectui dare queas. Ut autem ſcias, quis Tincturæ verus Magnes ſit, tibi dico, *Noſtræ Aquæ Comparem, aut ſocium & non Metallorum eſſe.* Nam ſimile ſibi ſimile quærit, ut Philoſophi dicunt, Natura Naturâ gaudet; Natura Naturam vincit; Natura Naturam retinet. Plura tibi ſcitu neceſſaria non ſunt; hæc, quæ dixi, accurate conſidera, & à Deo precibus benedictonem pete, quod ſi feceris, non errabis, ſed non temere voti tui compos

pos fies. Omnes hæ res certis ſuis temporibus definita ſunt, ſicut frumenti granum terræ mandatum, quod tempus ad maturationem requirit. nec antè matureſcit, quàm tempus maturationi deſtinatum advenerit. Doctrinam à Gebro præſcriptam ſequere, opuſque tum minima feſtinatione accelera. Expreſſe enim dicit vir ille ſapientiſſimus, omnem in opere noſtro feſtinationem à Diabolo eſſe. Quæ porrò ſcienda reſtant, & qualis tàm nobiliſſimæ Artis ſtudioſus eſſe debeat, in Quintâ Parte Pharmacopœæ meæ Spagyricæ invenies. Quid tibi jam videtur? An me ſatis intelligere potes? C. Imò ſatis intelligo ea, quæ hactenus ex te audivi. Sed Opus Mulierum, quod tu declarare inceperas, non ſatis perſpicuum mihi eſt, ut & luſus puerorum, qui globulis ludunt, de quo itidem mihi adhuc non ſatis conſtat, quo pacto cum opere Philoſophico comparetur; Si hæc mihi adhuc perſpicua, & clara reddentur, in Magiſtrorum artis numerum meipſum referam. B. Porrò igitur progrediendo videamus, quâ ratione Philoſophi ſuos globulos conficere ſoleant. Sicut enim pueri globulorum ſuorum conficiendorum gratiâ terram & aquam adhibent; Ità etiam & nos noſtram Terram, & noſtram Aquam ad globulos noſtros parandos uſurpabimus: Noſtram dico, non vulgarem & communem illam Terram & Aquam, quæ ad noſtrum opus ſunt inutiles. Perinde autem eſt, ſive fla-

vam, rubram, aut albam Terram ſumamus, quia omnes unius & ejuſdem ſunt naturæ. Cujus coloris terram adhibuerimus, ejus coloris globulos conficiemus. In promptu nobis eſt triplex terra, flava Auri, alba Argenti, & rubra Cupri. Hanc triplicem terram aquâ noſtrâ, ſive Mercurio humectabimus, paſtam, ſeu maſſam, quam Chymici Amalgama vocant, ex utroque conficiendi cauſâ: Hanc aquâ purâ lavantes digitis tàm diu teremus, donec nulla impuritas amplius animadvertatur, & ipſa facilem digitorum contritionem admittat. Ità probè lotam immittemus in corium, aut xylinum, fortiter ſuperius colligatum, ex quo manibus compreſſo, omnem Mercurium exprimemus, atque ab ipsâ Terrâ ſeparabimus, planè eo modo, quo in Amalgamatis, ſeu maſſis Metallicis Argentum vivum ab ipſis Metallis ſegregatur. Mercurio omni ſeparato craſſum noſtrum Amalgama eximimus, atque ex eo globulos formabimus, eam ferè magnitudinem habentes, quam puerorum globuli habent. Eos viginti quatuor circiter horas aëri expoſitos exſiccabimus, eâ exſiccatione adeò duros evaſuros, ut lapidibus duritie ſua reſponſuri ſint. Sic ad coctionem paratos, Aquæ noſtræ coquendos imponemus. In coctione tamen ipsâ manuariæ cujuſdam peritiæ habenda eſt accurata ratio illi, qui ſine errore operationem ſuam peragere cupit. Eam tibi fideliter aperiam, ne errorem committendo

te

te ipſum damno afficias. Globuli ex maſsâ noſtra confecti, in ollam Aqua noſtra impletam prius non ſunt injiciendi, quam ipſa aqua bulliat, in quam bullientem unus globulus poſt alterum eſt injiciendus, mox indureſcens, atque ſe cruſtâ aut cute dura obducens, quæ impedit, quominus globulus unus alteri adhæreat, & omnes in unam maſſam coaleſcant. Nam ſi mox ab initio tuos globulos in ollam conjiceres, ac poſtea demum Aquam frigidam affunderes, atque ità igni apponeres, ut ad maturitatem excoquerentur, totam tuam operationem corrumperes. Antequam enim aqua in olla incaleſceret, omnes globuli ſoluti in unam maſſam coaleſcerent, ac internarum ſuarum partium humectationem non admitterent, adeò ut coctione tua in merum pulmentum converſurus eſſes globulos tuos, qui aquæ omnibus ſuis tàm internis quam externis partibus hauriendi cauſa integri manere deberent. Ut omnium horum, quæ tibi dixi, accuratam rationem habeas, te operam daturum ſpero, atque puto, te jam dicta mea ſatis intellexiſſe. Sin minus adhuc eorum ſenſum calles, conſilium tibi dabo, qua ratione operationem hanc ab uxore tua domi diſcas. Domum reverſus uxori tuæ manda, ut tibi farina, & carne vitulina globulos, aut ſphærulas paret. Ad operationem ipſam diligenter attende, & vide, qua ratione conficiendi tales globulos uxor tua utatur, ut eadem ratione tuos Metallicos

globulos tractare discas. Primo videbis, quod puram farinam in profundam patinam immittet, immissamque cremore lactis, aut optimo lacte in massam, aut pastam subiget. Deinde nonnullas herbas virides minutim conscissas, atque aromatibus confusis mixtas, salesque conspersas pastæ illi farinaceæ admiscebit, ut ipsi suavem odorem & saporem conciliet. Ex hâc pastâ formabit posteà globulos, eâ quâ volet magnitudine, quos non antè in aquam conjiciet, quàm ea bulliat. In aquam igitur ferventem unum globulum post alterum injiciet, quorum quisque cumprimum aquæ bullientis fervorem sentiet, mox cuticula se obducet, quæ impediet, quo minus omnes sibi invicem adhærentes, in unam massam coëant, & in pastam illam redeant, quæ antè fuerant, quàm in globulos formarentur. Hoc pacto quisque in suâ forma manens ab aquâ circundari, & debito modo ad maturitatem coquendo promoveri potest. Ubi uxoris tuæ coquentis operationem hanc videris, nullum mihi dubium est, quin coquinariæ hujus artis peritus futuris sis. C. Ne in malam partem, amice charissime, capias, quod mihi à risu amplius temperare nequeam, audiens, quod nostrum opus tantâ similitudine cum arte coquinariâ conspiret. Institutio tua tàm fidelis mihi jam abundè satisfecit: Globulis talibus coquendis sæpissimè uxorem meam occupatam vidi, ipse quoque ejusmodi sphærulis libenter

vescens,

vescens, tàm ex carne vitulinâ, ovis, & aromatibus, quàm ex farinâ, lacte, & viridibus herbis confectis. Sed hoc vereor, ubi uxor mea me globulos parantem, & in ollulis coquentem videret; ne me ludibrio habeat, dictura, quod à se hanc artem didicerim. B. Non est, quamobrem tuæ uxoris, & omnium hominum garrulitatem moreris: quid faciant ipsi nesciunt: Satis tibi est, si tu nosti quo fine aliquid facias. An tu putas, si alii nasuti & scioli te conficiendis ejusmodi globulis operam dantem conspexerint, quod te ludibrio habituri non sint. Tu de tàm inutili garrulitate ne labora: Anseribus argutis strepentem suum garritum relinque, ac doctrinam meam sequere, & hanc nostram coquinariam artem silentii tenebris involve; quod si feceris, non est cur timeas, ne à mulieribus, & mulierosis viris ludibrio habearis.

C. Satis jam, Deo sit laus, & gloria, didici: Unicum tamen adhuc ignoro, nimirum, quo signo agnoscere queam, globulos meos satis coctos esse; & quo igne iidem coquendi sint. Lignorum & carbonum ignem à fœminino sexu ad coquendum adhiberi scio; an idem ad nostram operationem conducat, & necessarius sit, rogo. B. An nunquam vidisti, quo pacto mulieres, suos globulos probè coctos esse comperient? Unum exemptum dissecare solent, ut videant, num tàm interiores, quàm exteriores partes ità coctæ sint, ut farinæ tenacitatem non amplius

habeant. Tu idem fac, ac interdum unius globuli exempli fruſtulum cineritio aut cupellæ impone, quod tibi monſtrabit, quantum ☉ & ☽ augmentum, illo tempore coctionis, particulariter tuis globulis acceſſerit, & quamdiu adhuc coquendi ſint. Hæc omnia tibi meditatione, & examine proprio inquirenda eſſe ſcias, quia fieri non poteſt, ut tàm clarè alicui omnia ob oculos ponantur, ut nullâ meditatione, & inquiſitione ulteriore amplius indigeat. Hoc pacto, in unâ ollâ, unâ eademque aquâ 2. 3. aut plures globulos, diverſi generis, ut ex farinâ, viridibus herbis, aromatibus, carne, ovis, piſcibus, & aliis confectos parare, & coquere, & poſt coctionem unumquodque genus poſt alterum eximere, & particulariter ad uſum tuum adhibere poteris. Nam hæc de particularibus intelligenda ſunt. Sin Univerſalem Medicinam acquirendi deſiderio teneris, certa ratio tibi ineunda erit, unius ferè anni integri, qui ad ejus operationem finiendam neceſſario requiretur. Magnes enim noſter, cui Formæ auri extrahendæ, ex aquis noſtris, onus incumbit, adhuc immaturitate ſuâ laborat, & proinde haud exiguo temporis ſpacio ad Tincturam ex noſtris fugacibus, & combuſtibilibus aquis extrahendam, & ſecum fugiendam indiget. C. His verbis de tanto tempore mentionem facientibus haud exiguum mihi horrorem injicis. Noſtræ uxores unius quidem horæ ſpatio globulos ſuos exco-

excoquere possunt: Quanti coctio ejusmodi diuturna constabit? Eam duorum nummorum aureorum pretio me illam redempturum sperasſem. B. Ex progenie increduli Thomæ te oriundum dicerem, qui tibi non necessaria tua incredulitate tot curarum cumulos accumulas. Meministine, initio me tibi dixisse, quod totius operis impensæ, ab initio usque ad finem, duos nummos aureos, quos Ducatos vocant, non excedant. Quod nullatenus à veritate abluserim, evidenti demonstratione tibi exponam. Quando tuam ollam probè tectam, ut aqua tua in fumum resoluta non evanescat, exiguo igne lampadis calefacies, quæso quanti talis labor constabit? Esto, quod aliquot libræ aquæ aliquot assibus emantur, & Magnes etiam aliquot assibus constet, quot olei libris ad alendum illum exiguum ignem tibi opus erit. 40. 50. aut plures olei libræ quamvis tibi impendendæ sint, annon duorum aureorum impensis totum opus te expediturum diceres. Quid jam dicis? Annon contentus es? C. Animum, quo penitus excideram, rursus addis audienti, materias ad nostrum opus necessarias tàm vili pretio venales esse. Sed illud unicum me haud parum turbat, quod tantum temporis ad fixationem requiratur. Cætera omnia voto meo respondent. Sed brevius illud trium horarum, aut septem dierum opus expectassem. B. Quid mihi tecum est negotii, somniator? num tibi nimis longum videtur spa-

tium illud temporis, quo tibi tàm optimi, atque utilissimi fructus expectandi sunt? Quid sine temporis decursu te nacturum putas? Bona se sine temporis progressu offerre non solent, ut communi proverbio fertur. Intereà munere tuo fungi potes, nullo alio labore indigens, quàm ut mane, & vesperi lampadem tuam inspicias, & videas, quomodo cum igne cômparatum sit, Annon rustici etiam coguntur tempus suum expectare, quo terræ creditos & mandatos fructus iterum metant? Si antè hyemis adventum semina terræ inseverunt, ea repetere à terrâ citius non possunt, quàm sequente mense Augusto, qui ipsorum labores improbos remuneratur. Non tamen tanti temporis expectatio ipsos tædio afficit, patienter tempus messis præstolantes. Idem tibi faciendum, qui si celerius tuos globulos excoquendi avidus es, celerius etiam voti tui compoti tibi esse licebit, nimirum fortiore igne tuam aquam sine intermissione cocturo, quâ in operatione, ob fortem, & indesinentem concoctionem, hæc molestia iterum accedit, quod aqua tua, sine intermissione in vapores, & fumum resoluta, semper minuatur, & tu semper novam affundere cogaris. Alterutro horum pro arbitrio tuo utere: mihi satis importunus, & molestus es. Tales discipulos tui similes inposterum institutioni meæ concredi nolim. An tu putas, si breve illud trium dierum, aut septem horarum opus mihi cognitum esset, me tibi è vesti-

vestigio revelaturum, & crediturum esse. Non tamen in eo gradu cognitionis versor, ut me tantæ Artis Magistrum profitear. Tanti momenti res fieri posse credo; Eas me facere jam posse nego. Tu in nomine Dei abi, & cuncta diligenter, ac serio meditare: satis multa audivisti; ut diutius tecum confabuler, temporis ratio mihi non permittit. Si unus aut alter error tibi moram objiceret, me rursus convenire, & eâ de re compellare poteris. Deo te commendo, eumque precor, ut tibi & laboribus tuis benedictionem suam largiatur. C. Jam contentus sum, nec scio quid amplius rogem. Illud doleo, quod tibi crasso, & vervecino meo cerebro tantum molestiæ exhibuerim, atque adeò importunus fuerim: quo pacto tanta tua merita compensem, nescio: ea tibi Deus vita æternâ compenset. Gaudio exultans domum redeo, meisque lætum nuncium affero. Deus semper nobis præsto sit, ac nobiscum maneat. B. AMEN.

COROLLARIUM.

IN hoc Tertio Dialogo mentionem feci cujusdam Aquæ Igneæ arcanæ, quæ fugacia, & immatura Mineralia, & Metalla maturare potest, ubi præcipuè Particularem Transmutationem spectavi. Sed quia Particularis Metallorum emendatio, non minus temporis spacium, & non minores, quam ipsum universale, impensas re-

 quirit,

quirit, Filiis Artis hîc, Universale Opus, Particulari prælatum, commendare volui. Quæ in hoc Dialogo, forte fortunâ omissa, præteriimus, ea mei Quarti Ignis Arcani descriptio supplebit, quo Lectorem Benevolum remitto. Videbit, ibi,ac intelliget, quod maxima totius Operis pars, ipsiusque Operationis cardo versetur in vero vase, in Materia nostra est maturanda, & sine cujus cognitione, nullo unquam tempore, quidquam fructuosum effectui dari potest. Quod vas, cum omnes Philosophi tantâ curâ, & solicitudine texerint, & tanta tenebrarum obscuritate obduxerint, malè, imò pessime facerem, si illud palàm faciendo, ex tenebris in lucem protraherem. Hoc solum indico, talem esse debere fornacem, & vas ipsum tale, ut Hermetis discipulo alicui, unâ horâ, omnes Chymicæ Operationes, nimirum Solutio, Putrefactio, Distillatio, Sublimatio, Cohobatio, Ascensio, Descensio, Circulatio, Inceratio, & Fixatio, in unâ fornaculâ, in uno vitro, & in uno igne, quæ omnia nonnisi unius quartæ partis, unius Thaleri impensis constare debent, sine omni vitrorum mutatione, aut admotione manus Operatoris, perfectè monstrari queant. Hæc quidem omnem totius Mundi fidem superant, sed non Glauberi fidem, cui satis est non solum credere, sed etiam posse facere, ut increduli etiam credant. NB. Quodam tempore rebus tantis, ac tàm incredibilibus mihi cum viro docto familiariter

riter confabulanti, ipſe ſequentes verſus, in hanc materiam quadrantes obtulit.

Cógnomen GLAVBERE *tibi à* FIDENDO *dederunt;*
Rectius à meritis ex OPERANDO *darent:*
Scilicet objectum Fidei invıſibile; ſed Tu
Vix CREDENDA *prius, arte* VIDENDA *facis.*

FINIS.

